UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nvclevs Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorvm quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

Visual Library

Franciſcus Guilielmus
Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Oſnabrugent. Mindenſis & Verdenſis, Metrop. Cathed. & Inſig. Eccleſiar. Coloniens. Ratisbon. Frisingenſ. Bonn. Oeting. Monacens. reſpectivè Coadiutor, Præpoſ. Archidiac. & Canonic. Capitular. S. R. I. Princeps, Comes de VVartenberg & Schaumburg, Dominus in VValde & Hachenburg, &c.

Th. 2353.

4. I
8.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Agustini

NVCLEVS Casuum CONSCIENTIÆ.

SIVE

BREVIS NOTITIA EORVM quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt Confessarijs in primo ingressu ad audiendas CONFESSIONES.

Auctore

R. P. IOSEPHO AVGVSTINO

Panormitano Soc. Iesv.

Vndecima editio

POST ROMANAM, PANORMITANAM, *Dilinganam, Duacenam &c. multo correctior.*

Accessit MONITORIA DIRECTIO pro ORDINANDIS.

Lib. Socie. IESV.

COLONIAE AGRIPP.

Apud IOD[illegible]CVM KALCOVIVM

Anno M. DC. XLIV.

Superiorum licentia & Priuilegio S. C. M.

LECTORI

S.

SCripsi, mi Lector, ante plures annos Breuem hanc, quam vides NOTITIAM. Scribendi verò occasio fuere Sacerdotes nonnulli, quibus consultum volui. Ij nimirum, cùm, suscepto paulò ante Sacerdotio, proximorum saluti procurandæ, in audiendis confessionibus suam nauare operam statuissent; Sacramenti Pœnitentiæ dignitatem: & rei magnitudinem; in qua proximè salus animorum agitur, prudenter perpendentes, solliciti nimium erant de suo scientiæ apparatu, an tantæ rei tractandæ satis futurus esset. Me ergo precibus impulere, vt eorum, quæ ad confessiones excipiendas stitu vel necessaria, vel valde vtilia existimarem, notitiam, paucis complecterer: id enim, & indoctis posse, aiebant, veluti scopum præfigere, ad quem facilius in comparanda harum rerum scientia collimarent: &

doctiorum animos, qui eorum omnium, quæ hic continentur, conscij essent, pacatiores redderet, ne fortè vnquam temeritatis scrupulus pro suscepto Confessarij munere injiceretur. Scriptum opusculum diu inter plurimorum manus versatum auidè exscribebatur: cùm iussu Reuerendißimi Domini D. Ioannis Antonij Geloßi Abbatis, & in Metropolitana Panormi Ecclesia Vicarij Generalis, Confessariorum bono, quæ ipsius pietas est, diligentißimè consulentis, in lucem èditum primùm est typis demandatum: idque etiam sæpius factum. Nam intra duos circiter annos septies prælum subiit, Panormi, Messanæ, Venetiis, Romæ. Persuasum mihi tandem est, vt eamdem Notitiam perficerem eam tractans materias, quas olim minus necessarias existimans prætermeram: & imposita veluti coronide, meoque inscriptam nomini, vt prodesse pluribus possit, in lucem emitterem. Prodit

dit ergo hæc NOTITIA, *quæ ferè omnes quidem complectitur materias Casuum Conscientiæ. Non hic tamen reperies quæ omnia in tanta rerum amplitudine dici possent; sed quæ abundè esse queant Confessario, vt de singulis, vel decernat, vel prudenter saltem dubitet. Non recenseo hic opiniones omnes in singulis quæstionibus, sed ea solùm, quæ ita probabiliora, ac tutiora videntur; vt si ijs Confessarius adhæserit, nequeat vnquam scrupulis angi, & me apud iustißimum animorum iudicem pro illo vadem sine meo discrimine possim exhibere. Ne tamen alias lectori opiniones inuiderem, & quæ propono Doctorum testificatione confirmarem; vbi oportet Auctorum nomina, & loca recenseo, quæ consulere possit. Stylus planus erit, facilis, ac dilucidus, sed in quo verba non redundant. Quare, eos, qui primùm ad hæc ediscenda accedunt; ne fortè à me aberrent mente, rogo ne*

facilè verba prætereant, sed de suo dubitrent sensu, si ad eum aliqua ex meis verbis superflua esse videantur. Caterum Vale, & huius Notitiæ bono fruere, si tibi vtilem esse compereris. Panormi primùm, Iterum Romæ 18. Februarij 1643.

IN-

INDEX

Primus.

DE Sacramẽtis in genere. pag. 11
De Sacram. Baptismi. p. 16
De Sacramento Confirmationis. p. 34
De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento p. 38
De Eucharistia vt est Sacrificiũ. 44
De Sacram. Pœnitentiæ. 54
De materia proxima, & primò de Contritione. 63
De Confessione. 74
De Satisfactione. 78
De Absolutioue. 81
De Sigillo Confessionis. 85
De Bulla Cruciatæ. 88
De Iubileis. 97
De Indulgentijs. 100
De Sacramento Extremæ Vnctionis. 112

INDEX

De Sacr. Ordinis cum Instructione pro Ordinandis. 120
Quis ordo sit Sacramẽtum, & quid ad ipsum requiratur. 125
De Sacram. Matrim. 139
De Impedim. Matrim. 143
De Eccles. Præceptis. 169
De 1. Præcep. Eccles. ibid.
De 2. Præcepto Eccles. 174
De 3. Præcepto Eccles. 178
De 4. Præcepto Eccles. 180
De 5. Præcepto Eccles. 186
De Præceptis Decal. ibidem.
De 1. Præcep. Decal. 187
De Superstitione. 188
De Magia. 190
De Diuinatione. 191
De Vana Obseruantia. 193
De Maleficio. 195
De Blasphemia. 197
De Irreligios. & Sacril. 199
De Tentatione Dei. 201

De

De peccatis contra Virtutes Theologicas. 203
De 2. Præcepto Decal. 204
De Iuramento. 205
De Adiuratione. 208
De Voto. 213
De 3. Præcepto Decal. 219
De 4. Præcepto Decal. 222
De Denunciationibus faciẽdis. 225
De 5. Præcepto Decal. 232
De Odio. 243
De Scandalo. 245
De Adulatione. 248
De Eleëmosyna, & fraterna Correctione. 249
De 6. Præcepto Decal. 252
De 7. Præcepto. 264
De Contractibus. 265
De Restitutione. 271
De Vsura. 279
De Gabellis. 281
De 8. Præcepto. 288

De Detractione. 290
De vltimis duobus Præceptis. 295
De Duello. 304
De Ludo. 308
De Simonia. 311
De Censuris, & primò de Excommunicatione. 315
De Suspensione. 319
De Interdicto. 321
De Irregularitate. 322
De septem capitalibus vitijs. 329
De Conscientia. 331
De Confessarijs sollicitantibus. 335
De Horis Canonicis. 336
Casus reseruati in Bulla Cœnę. 344
Alij casus Summo Pontifici intra Italiam reseruati. 346
De Immunitate circa confugientes ad Ecclesias. 347
Forma Absolutionis. 348
Forma Absolutionis vrgente periculo mortis. 349

PRO-

PROOEMIVM.

SI quis memoria fortè recolat illud *Oseæ c.* 4. Sacerdotem ita alloquentis: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi; facili negotio intelliget, qui nam fuerit nostræ huius breuis Notitiæ scopus, ac finis. Si enim adeo in veteri Lege, Prophetа innuente, necessaria Sacerdotis dignitati, eorum fuit scientia, quæ ad illud rectè obeundum munus pertinebant: qua sanè maiori ratione in noua lege apprime necessaria est ea doctrina, quæ Sacerdotis muneri, præsertim in Sacramento Pœnitentiæ rite obeundo, est maximè necessaria. Quò igitur huic ex parte necessitati consuleremus; breuem hanc Casuum conscientiæ Notitiam concinnauimus: quæ asperum sanè ac perdifficile, Tyronibus

nibus præsertim, explanat iter, facilemque præbet aditum ad primũ in confessionibus excipiendis ingressum. Caueat igitur Sacerdos, ne Oseæ fortè sententię immemor, Casuum conscientiæ peritiam repellat: non modo enim à Præsulibus in examine, sed quod caput est, à Domino ne Sacerdotium obeat iure optimo repelletur.

DE


Pax
Justitia et Veritas

ILLVSTRISS.mo ET REVERENDISSIMO DOMINO D. FABIO CHISIO,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO Neritonensi, eiusdemque S. Sedis ad tractum Rheni, & alias inferioris Germaniæ partes cum potestate Legati de latere Nuntio Ordinario,

NEC NON

AD TRACTATVS PACIS VNIVERSALIS EXTRAORDINARIO &c. Domino suo colendißimo.

Noldit in manus meas superiori-

bus diebus isthęc theologiæ moralis epitome, siue Nucleus (vt aiunt) Casuum Conscientiæ, iussu Eminent.mi Cardinalis Doriæ, Archiepiscopi Panormitani, typis primum vulgatus; sæpe deinde sæpius, & Panormi & alibi, summo cum operæ pretio, ac nouellorum Sacerdotum adiumento recusus. Neque enim vi-

no vendibili opus fuit
suspensâ hæderâ, ita se
ipse commendauit, vt
iteratis istis &in decimã
primam vicem repetitis
editionibus, omnium
desiderio nequicquam
factum sit satis. Quare
consultum putaui, ad
plurium vtilitatẽ, eun-
dem rursum prælo sub-
ijcere: Tuæq; Reueren-
dissimæ & Illustrissimæ
Celsitudini humillimè

dedicare, vt Canonum ac præceptorum moralium hic ab Italo patre breuiter perſcriptorum patronum adipiſci merear, quem inde ab Italia, per haſce Rheni partes, viuam morum regulam, & actionum ad honeſtæ rationis, & æternę legis normam exactarum exempla omnibus circumferre ſuſpicimus. Neque vllus

dubito, quin opere ipso, quâ licet perfectissimè exhibes, quodque dum facto non potes, verbo accuratissime doces, id nominis tui auspicio prodire, Auctoritate tua defendi, haud grauatè patieris. In multis enim libelli huius partibus, morum tuorum imaginem, perfectam boni Sacerdotis, optimi Episcopi, ac Le-

gati ideam rudi penicu-
lo adumbratam habe-
mus: & quod muti lite-
rarum apices obscu-
rius forte proponunt;
Tu aut viuis morum
exemplis, aut veriſſimis
verborũ oraculis, haud
paulo certiore ac cla-
riore magiſterio, ſequẽ-
dum proponis. Siue e-
nim *Te in Sacramentis*,
officio tuo, munerique
propriis adminiſtrãdis,

siue in tuis, alienisque moribus ad diuinorum præceptorum normas exigendis, ex Apostolici Legati dignitate versantem cõspicimus; ad definitam à Canonibus perfectionem, omnes actus tuos & cõsilia collineas, omnesque simul intuentes, ad tui amorem ac imitationẽ suauissimè inuitas. Quod vt quam diutissimè ad

Ecclesię totius bonum, vti facis, facias, meque clientulorum tuorum minimum, qua omnes tuos soles, humanitate ac beneuolentia complectaris, Deum obnixè semper rogabo.

Coloniæ 6. Decembris Anno 1644.

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Celsitudinis Vestræ minimus Clientulus.

Iodocus Kalcouius Bibliop.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1.

Multa sunt, quæ à Theologis, & Casistis de Sacramentis tã in genere, quam in particulari, passim disputari solent, quę ad eorum institutionem, necessitatem, substantiam, definitionem, diuisionem, & effectus pertinent: ego ea iuxta institutum meum breuiter colligam, quæ præsertim Confessarijs, & Sacramentorum ministris: & ijs, qui Sacramenta suscipiunt, scitu necessaria esse videntur: plura apud Auctores citandos legendo relinquens: mei etiam instituti non erit opiniones diuersas, & contrarias examinare, aut ad longiores difficultates digredi, sic enim opus vltra fines suos excresceret, & alij in hoc egregiè desudarunt, sed ea, quæ communiora, & certiora

tiora sunt ob oculos ponere, & quasi via regia progredi. De Sacramentis scripsere ex Theologis *Magister sentent. in* 4. initio, & plures eodem loco, *S. Thom* 3. *p. à quæst.* 60. & deinceps, & Thomistæ ibidem: *Suarius in* 3. *p. tom.* 3. *initio: Vasquez ibidem tom.* 2. *q.* 60. Et ex Casistis Filliuccius, Coninch, Bonacina suis primis Tomis initio, Toletus in summa *lib.* 2. *à capite* 15. & alij passim.

Definitio.

2 SAcramentum nouæ legis, prout in hac materia accipitur à Theologis sic definiri potest. Est signum practicum sensibile rei sacræ sanctificantis homines à Christo Domino institutum. Dicitur, signum sensibile, quia omne Sacramentum in aliquo signo externo sensibus subiecto saltem ex parte consistit, vt infra constabit in singulis Sacramentis. Ratio verò huius rei fuit, quia cum homo corporeus sit, & nihil intelligat in præsenti statu nisi per modum rei corporeæ, & sensibilis;

conue-

conueniens fuit, vt signa, quibus Deus promissiones suas vltra naturalem talium signorum conditionem adnectit, sensibilia essent, vt per illa aliquid intelligibile homini innotesceret.

3. Dicitur, practicum, quia Sacramenta nouæ legis per virtutem Spiritus sancti faciunt vi sua id, quod significant: nec solum significant speculatiue, v. g. ablutio in Baptismo significat internam animæ ablutionem à peccatis, quam etiam vt Dei instrumentum per virtutem ab ipso sibi inditam caussat in anima: vnde dicuntur caussare gratiam ex opere operato, id est ex vi, & efficacia ipsius Sacramenti vltra dispositionem, & meritum, aut exigentiam recipientis Sacramentum, quod nulli alteri rei competit, excepto Martyrio secundum aliquos, quod tamen non est Sacramentum, quia non fuit à Christo Domino institutum vt signum in hunc finem.

4. Dicitur, rei sacræ sanctificantis hominem, quia omne Sacramentum caussat gratiam sanctificantem, vel augmentum ipsius, modo dicto, in ho-

mine non ponente obicem, seu rectè disposito ad tale Sacramentum recipiẽdum: vndè dicuntur vasa gratiæ, & fontes gratiarum, quamuis præterea conferant alios peculiares effectus proportionatos fini vniuscuiusque Sacramenti.

5. Dicitur à Christo Domino institutum, quia cum Sacramenta non sint signa naturalia, sicuti fumus est signum ignis, & vestigium est signum pedis, sed ad placitum instituta, cum aliqua tamen proportione ad id, quod significant, sicuti lautus est signum vini venalis, &c. & ex alia parte cum significare debeant, & caussare gratiam, quam nulla creatura per se caussare potest, necesse fuit, vt à nullo alio tanquam à principali agente institui possent, nisi à solo Deo, & de facto à Christo Domino, qui simul Deus, & Homo est, fuere instituta: ab ipso quidem vt Deo tanquam à caussa principali: vt homine tanquam ab instrumento coniuncto tali caussæ. Atque hæc omnia ferè ex *Trid. Conc. sess. 7. de Sacramentis.*

Diffe-

Differentia à cæteris rebus.

6 HInc infertur nihil aliud præter prædicta posse dici, aut esse Sacramentum nouæ legis, etiam si in illius vsu conferatur homini disposito gratia sanctificans, remissio peccatorum, aut augmentum gratiæ, nisi talem gratiam causset ex opere operato modo dicto. Hinc Aqua Lustralis, & cetera Sacramentalia non sunt Sacramenta, etiam si homo iustus in vsu ipsorum acquirat augmentum gratiæ: & idem dici debet de omnibus operibus bonis, & meritorijs hominis iusti, de eleemosyna, & operibus misericordiæ: imo nec ipsi actus perfectæ Charitatis, aut perfectæ contritionis extra Sacramentum, quamuis interdum habeant annexam primam gratiam, & remissionem peccatorum sunt Sacramenta, quia non causant gratiam ex opere operato, nec ad hoc sunt à Deo instituta, sed solum secundum dispositiones operantis.

7. Item licet in lege scripta, & in lege

naturæ fuerint aliqua Sacramenta ; tamen illa in adultis non causſabant gratiam sanctificantem ex opere operato vltra dispositionem operantis, sed significabant illam causandam per nostra Sacramenta , & solum causſabant quamdam sanctitatem legalem , & externam , seu quamdam idoneitatem , & munditiam ad hoc, vel illud faciendum, sine qua censebantur immundi , significatiuam tamen nostræ veræ sanctitatis. Vnde illa Sacramenta erant onera, & infirma , & egena: & quamuis Sacramenta puerorum tunc causſarent gratiam aliquo modo ex opere operato; illam tamen non causabant ex vi , & efficacia sua , sed causſabatur gratia à Deo intuitu professionis Fidei, & deuotionis, quam illi in talibus Sacramentis profitebantur , & sic longe inferioris conditionis erant à nostris.

Materia, & Forma.

3 ITa Christus Dominus instituit nostra Sacramenta ; vt in illis aliquid sit per modum materiæ & aliquid per modum

modum formæ, quæ dicuntur partes essentiales Sacramenti, & si aliqua ex his desit, non perficitur Sacramentum. Hoc autem dicitur per similitudinem ad res naturales compositas ex materia, & forma: sicuti enim in his materia dicitur illa pars, quæ minus determinata, & veluti indifferens est ad hoc, vel illud compositum constituendum; forma autem est vltimum determinatiuum, & constitutiuum rei; ita in Sacramentis materia dicitur illud signum sensibile, quod veluti imperfectam, & inchoatam habet significationem Sacramenti; forma autem est illud, quod talem significationem complet: v. g. in Baptismo ablutio non habet ex se perfectam significationem ablutionis spiritualis, quam significat Baptismus, sed expectat determinari ad hoc ab aliquo alio, & hoc est forma Baptismi in illis verbis: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quod determinat ad ablutionem spiritualem a maculis peccatorum, & sic de alijs, vt dicetur in singulis Sacramentis infra: & hoc pacto dicuntur Sacramenta

perfici verbis, & rebus, per res intelligitur materia, per verba forma, quæ cõmuniter in verbis consistit, aut in aliquo illis correspondente.

Minister.

9 QVis sit Minister Sacramentorum, dicetur infra in singulis Sacramentis. Communiter autem hic aduertunt Doctores, Sacramentorum Ministrum, saltem illum, qui ex officio, & peculiari consecratione perficit aliquod Sacramentum, vt dignè, & sine peccato id faciat, debere in tali exercitio prudẽter existimare se esse in gratia, nec habere cõscientiam peccati mortalis: cum enim Sacramenta sint res valde sacrosanctæ, sanctè etiam tractari debent: quare contra virtutem Religionis esset, & quidem in materia graui, Ministrum ipsorum conficere illa cum conscientia peccati mortalis: sed in tali casu debet præcedere vel confessio Sacramentalis, vel actus perfectæ contritionis, vt ille existimet iam se esse in gratia, ad dignè, & sine sacrilegio conficiendum Sacramen-

mentum: quæ tamen dispositio non est necessaria ad validitatem Sacramenti. Lege *S. Thom. 3. p. q. 64. art. 6.*

10. Præterea cum materia, & forma Sacramentorũ sint determinatè à Christo Domino instituta, ita vt in nullo sit auctoritas mutandi, debet eorum Minister diligenter aduertere, vt in partibus his essentialibus Sacramentorum nullã mutationem faciat, quæ destruat aliquã partem Sacramenti, aut eius veritatem: sed adhibeat iuxta vsum, quem tenet, & sequitur Ecclesia Catholica: alioqui non solùm grauiter peccabit, sed neque conficiet Sacramentum. De singulis verò dicetur infra suis locis.

Intentio Ministri.

11. REquiritur præterea ad validitatem Sacramenti, intentio Ministri, de qua *S. Th. q. 74. citata ab Art.* 8. non quod hæc sit pars Sacramenti; sed quia cum Deus voluerit hæc Sacramenta per homines confici, voluit etiã vt modo humano, & rationabili conficerentur, qualis est hic: vt qui conficit

Sacramentum habeat saltem intentionem faciendi id, quod Ecclesia intendit, & facit in tali Sacramento: aut habeat intentionem perficiendi tale Sacramentum: alioqui esset deceptio, & illusio, quod esset valde inconueniens in re tam sancta. Ceterum ad validitatem Sacramenti nihil refert an Minister faciat id ex hoc vel illo fine, siue bono, siue malo, ex hoc, vel illo motiuo, &c. hæc enim sunt valde extrinseca ad substantiam Sacramenti, dummodo illæsa maneat intentio perficiendi illud Sacramentum, aut faciendi quod facit Ecclesia, &c. Propter similes causas requiritur etiam in adulto recipiente Sacramentum intentio recipiendi illud, & dispositio requisita, vt dicetur in singulis Sacramentis.

12. Intentio in vniuersum triplex esse potest. Actualis, Virtualis, & Habitualis. sola habitualis non sufficit ad Sacramentum Pro qua re sciendum est, quod solet homo ex frequentatis actibus siue intellectus, siue voluntatis acquirere qualitates quasdam habituales in ijsdem potentijs, vt sunt habitus virtutum,

tutum, & vitiorum, qui retinent nomen suorum actuum : sic ex frequentatis actibus Mathematicæ, aut Physicæ acquiritur habitus Mathematicæ, & Physicæ, & ex frequentatis actibus intemperantiæ acquiritur habitus intemperantiæ. sic ergo in re nostra. Sacerdos v.g. ex eo quod in Sacrificio missæ semper habet intentionem consecrandi, acquirit habitum, qui dicitur intentio habitualis consecrandi. Hi autem habitus acquisiti, sicuti non acquiruntur perfectè vnico actu, sed pluribus ; ita neque perfectè destruuntur vnico actu contrario, aut per breuem cessationem ab actibus : si ergo ille Sacerdos ex sua malitia hic, & nunc non habeat intentionem consecrandi in Missa, & tamen proferat verba consecrationis; non consecrabit, quamuis habeat habitualem intentionem consecrandi, quæ etiam habitualis intentio manet in dormiente, in amante, &c. sic igitur sola hæc habitualis intentio sine actuali, vel virtuali non sufficit ad perficiendum Sacramentum.

13. Ad perficiendum igitur Sacramē-

tum necessaria est intentio vel actualis, vel virtualis. Actualis autem duplex est, alia directa, & exercita: alia reflexa, & veluti signata. Directa est quando aliquis verè, & explicitè habet voluntatem faciendi id, quod facit, sed non aduertit per alium actum reflexum se habere talem voluntatem: & hoc modo communiter se habent omnes operationes nostræ liberæ, quas volentes facimus: qui enim studet, dum studet, habet voluntatem studẽdi: & qui loquitur habet voluntatẽ loquendi, etiam si non cognoscat alio actu reflexo se habere hanc voluntatem, facile tamen id cognosceret, si reflecteret cogitationem suam supra id, quod facit, tunc autem est actualis cognitio reflecta, quando homo reflectit cogitationem suam ad id, quod facit. hoc autem ideo aduerto: quia aliqui nõ rarò scrupulis anguntur, putantes se non habuisse actualem intentionem in conficiendis Sacramentis ex eo quia non habuerunt illam reflexã, quam non distinguunt à directa, & ita confugiunt ad intentionem virtualem, & facile etiam dubitant ad hanc habuerint,

buerint, cum reuera habuerint actualem directam.

14. Intentio virtualis est, cum aliquis in exercitio alicuius rei v.g. cum baptizat, vel absoluit ob aliquas distractiones, aut inaduertentias non habet actualem voluntatem faciendi id, quod facit: sed reuera illa exterior operatio procedit ex vi alicuius actualis volitionis, quā ptius habuit ad hoc ipsum opus ordinatam, quæ non fuit mutata per contrariam volitionem, aut ita interrupta alijs operibus, vt non censeatur moraliter manere, & sic dicitur virtualis intentio: v.g. Sacerdos existens in suo cubiculo vocatur ad conferendum Baptismum puero existenti in Ecclesia; egreditur hoc expresso animo, & voluntate id faciendi, & sic habet actualem voluntatē saltem directam, & explicitam: postea vero contingere potest: vt dum progreditur ad Ecclesiam physicè interrumpatur talis volitio, neque enim necesse est vt continuò duret, non tamen retractatur, nec mutatur per contrarium actum, sed habet continuatum suum effectum donec perficiatur Baptismus, etiam si nō

esset denouo replicata, & sic dicitur moraliter, & virtualiter manere, quod sufficit: nam hic etiam solet esse modus humanus, & ordinarius liberè operandi, quando ad perfectionem operis requiritur aliqua temporis distantia, quamuis ego existimem vt plurimùm in re nostra adesse intentionem actualē exercitam, maximè cum nulla apparet sufficiens ratio dubitandi in contrarium.

Numerus.

15 DE Fide est Sacramenta nouæ legis esse illa septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, vt definitur in *Trident. sess 7. can.* 1. quorum prima quinque pertinent ad perfectionem particularem vnuscuiusque, per quamdam Analogiam ad vitam corporalem: duo verò vltima ad perfectionem Ecclesiæ, vt sæpe habet S. Thom. nam in vita corporali, homo indiget 1. generatione, & natiuitate, cui in vita spirituali correspondet Baptismus: 2. indiget augmento

mento necessario, cui respondet Confirmatio: 3. indiget nutrimento, cui correspondet Eucharistia: 4. indiget medicina post morbum, cui correspondet Pœnitentia: 5. indiget aliquo adiutorio ad tollendas reliquias morbi, cui correspondet Extrema Vnctio. Ad propagationem verò spiritualem Ecclesiæ ordinatur Sacramentum Ordinis: Ad propagationem autem corporalem Sacramentum Matrimonij. Lege *S. Th. 3. p. q. 65. art.* 1. & Catechismum Tridentinum *cap. de Sacr. §.* sequitur 2. Ex his tria, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo, præter gratiam, imprimunt Characterem in anima, & non possunt sine sacrilegio reiterari, vt infra dicetur. Est autem Character spiritualis potestas in anima, indelebilis. à Deo collata ad quædam munia obeunda. Atque hæc de Sacramentis in communi.

DE

DE SACRAMENTO Baptismi

Definitio, & Necessitas.

1 BAptismus primum ex prædictis Sacramentis, qui ianua ad cetera Sacramenta dicitur, quia sine illo reipsa suscepto, neque validus, neque licitus est accessus ad reliqua Sacramenta; sic solet breuiter describi ex Magistro senten. *in 4. dist. 3. & S. Th. 3 p. q. 66. art. 1.* Est ablutio corporis exterior sub prescripta quadam verborum forma: subintelligitur in hac descriptione genus commune ad reliqua Sacramenta, nempe Baptismus est Sacramentum consistens in ablutione corporis, &c. addi etiam potest explicitè veluti vltima eius differentia, nempe ordinatum ad regenerationem spiritualem.

2. Hoc Sacramentum est necessariũ ad salutem consequendam omnibus in lege Euangelica, & quidem in reipsa, si adhiberi possit, sin minus saltẽ in voto: & hoc pacto dicitur necessarium necessitate medij in re, vel in voto. Pro quo aduer-

aduerte, quòd aliquid dici potest necessariũ ad salutẽ dupliciter. Primo necessitate præcepti tantùm. Secundo necessitate medij, & præcepti: primum dicitur illud, ad quod adimplendum, vel omnes, vel aliqui in quibusdam casibus tenentur, sub pœna peccati mortalis, ex hoc præcisè, quia res illa cadit sub tale præceptum, & ad vitandum tale peccatum: at verò necessariũ necessitate medij dicitur illud, quod à Deo institutum est, vt habens causalitatem aliquam, & influxum in aliquam rem omnino necessariam ad salutem, & quod per se aliunde suppleri non possit: & propterea dicitur medium necessarium: vndè id, quod est tantùm necessarium necessitate præcepti; ideo est necessarium, quia præceptum est: at verò è cõtra id, quod est necessarium necessitate medij, ideo est præceptum, quia est medium necessarium, ratione sui influxus & causalitatis: v.g. si aliquis habeat rem alienam restituendam; hæc obligatio ad restituendum, dicitur solum ex præcepto, & restitutio dicitur solùm necessaria necessitate præcepti, quia ad illam homo tenetur

tur tantum vt impleat præceptum Iustitiæ, alioqui peccabit, & ponet impedimentum suæ saluti: vndè si in aliquo casu excusaretur à peccato non teneretur ad restitutionem. At verò Baptismus est res instituta à Deo vt medium vnicum per se ad remissionem peccati originalis, causans, & influens in hanc remissionem, vnde habet vt sit etiam necessarium ex præcepto, quia homo tenetur adhibere media necessaria ad suam salutem. Cum ergo dicitur, quod Baptismus est necessarius ad salutem in re, vel in voto, semper intelligitur vt medium influens institutum, &c. idem dicetur infra de Sacramento Pœnitentiæ respectu hominis lapsi in peccatum mortale post Baptismum.

Materia, & Forma.

3 MAteria Baptismi duplex est, remota, & proxima: remota est aqua naturalis, id est, quæ sit verè aqua elementaris, siue sit ex fontibus, ex fluminibus, ex puteis, ex pluuia, ex mari, &c. vndè nullius alius liquor, etiam si sit aquæ

aquæ similis, & vocetur aqua, vt est aqua rosacea, &c. est materia apta ad Baptismum, imo ipsa aqua naturalis non debet esse ita permixta alijs rebus, vt iã non censeatur esse communi vsu aqua, siue tandem sit calida, siue frigida, siue turbida, &c. nix autẽ, & gelu, nisi aliquo modo liquefiant, non sunt apta materia, quia non sunt apta ad abluendum.

4. Materia vero proxima Baptismi est ablutio ex aqua: debet enim aqua ita tangere corpus baptizati, vt dicatur abluere, etiam si sit parua ablutio, dummodo sit sensibilis: potest autem hæc ablutio fieri tripliciter. Primo per immersionem alicuius partis corporis baptizandi in aquam. Secundo per effusionem aquæ in corpus eiusdem. Tertio per aspersionem: qua in re seruandus est vsus propriæ Ecclesiæ, sicuti apud nos est per effusionem, nisi necessitas alium modum exigeret: vbi aduertendum est, quod ordinariè loquendo aqua debet esse benedicta, & pars corporis abluenda debet esse caput, aut aliqua pars principalis: & aliter facere extra casum necessitatis non licet sine peccato graui: in

casu

casu verò necessitatis, quælibet aqua, & quælibet pars corporis sufficit. Quando verò in aliquo casu dubio sit repetendus Baptismus sub conditione, consulantur Doctores supra citati.

5. Forma Baptismi consistit in illis verbis. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Ita in Ecclesia latina (nam in græca dicitur: Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: de quo nihil hoc loco.) Omnes ille particulæ sunt de essentia formæ, præter illas, Ego, & Amen, & aliqui addunt particulam, In, quæ tamen non sunt omittenda. Et quidem in Baptismo solemni erit mortale omittere. Illi formæ nulla debet fieri additio, nec variatio, aut transmutatio, aut interruptio, tales, quæ sensum necessarium ad illam formam destruant, aut alium ritum ab eo, quem intendit Ecclesia, introducant: sic enim non perficietur Sacramentum, & erit graue sacrilegium: leuiores verò defectus quamuis sint omnino vitandi in materia tam graui, non destruent Sacramentum, & pro qualitate defectus, fiet iudicium de quali-

qualitate peccati. Lege Toletum *lib.* 2. *cap.* 19.

6. Ablutio, quæ est materia, & prolatio verborum, quæ est forma non ita scrupulosè debent esse simul, vt eodem momento vtraque incipiat, aut absoluatur: hoc enim nullo modo est necessarium, sed satis est vt non finiatur ablutio priùs, quam incipiat forma verborum, aut non finiatur forma, priùs, quàm incipiat ablutio, sed saltem quoad aliquas sui partes sint simul. quòd si forte contingat, vt statim finita ablutione, incipiat forma verborum, aut finita forma, statim incipiat ablutio, ita vt moraliter dici possint fuisse simul, perficietur Sacramentum: non autem si longiori tempore vna separetur ab alia; nam in hoc Sacramento forma significat materiam, vt præsentem: dicitur enim, ego te baptizo: debet ergo Baptismus, seu ablutio tunc esse, cum adest forma, vt dictum est.

Minister.

7 MInister huius Sacramenti per se primò, & principaliter est solus Sacer-

Sacerdos: & quidem ex officio solus Parochus, (quo nomine maximè etiam venit Episcopus) & ex eius commissione, aut defectu quilibet Sacerdos, & in aliquo casu etiam Diaconus, & nulli alteri potest id committi extra casum necessitatis, nec illis licet absque graui peccato baptizare sine solita solemnitate, nec extra Ecclesiam, nisi in necessitate: exceptis filijs magnorum Principum, vbi est is vsus, vt in proprijs domibus baptizentur: & si aliquis absque legitima auctoritate baptizet, grauiter peccat; non est tamen excommunicatus, nec irregularis, semper intelligendo extra necessitatem, extra quam nulli alteri licet sine graui peccato baptizare: quamuis si baptizaret cum debita materia, & forma, & intentione, vt supra, validus esset Baptismus, nec contraheret irregularitatem: atque in his conueniunt communiter Doctores.

8. In casu extremæ necessitatis, quãdo scilicet est probabile periculum, ne aliquis moriatur sine Baptismo, nisi statim baptizetur; quilibet homo habens vsum rationis, & sciens debitam mate-

materiam, & formam applicare cum debita intentione, potest validè, & licitè baptizare secundum Ecclesiæ traditionem, quicunque ipse sit siue Clericus, siue Laicus, siue masculus, siue fœmina, siue bonus, siue malus, siue fidelis, siue infidelis, &c. Notant autem Doctores, quòd si potest, debet seruari hic ordo, vt Parochus, & Pastor præferatur alijs: Sacerdos Diacono: Diaconus Subdiacono: hic alijs Clericis in minoribus: Clericus Laico: Fidelis, Infideli: & Vir Fœminæ: non excommunicatus excommunicato, &c. Quod si aliqua rationabili causa hic ordo seruari non posset; fiat quantum potest: v. g. nullo præsente Sacerdote baptizet Diaconus, &c. Similiter si præsens Sacerdos nolit baptizare, aut non possit, aut si præsens Clericus nolit, aut nesciat; succedat Laicus: & si honestas id non ferat, vt contingere solet, quando puer Baptizatur dum egreditur ex vtero matris; baptizet fœmina, præsertim obstetrix. Quando igitur suppetit rationabilis causa, aut necessitas non seruandi talem ordinem, nullum est peccatũ; non seruare, neque necesse est,

vt in

vt in tali casu minister sit in gratia, quod est necessarium in Ministro solemniter baptizante.

9. Disputant hic Doctores vtrum peruertere talem ordinem sine caussa, aut necessitate, sit mortale. Toletus *libr. 2. cap. 20. num. 8.* videtur docere non esse mortale. Alij communiter docent in aliquo casu esse mortale; vbi scilicet inuersio talis ordinis inferret notabilem iniuriam, vel Sacramento, vel alijs quibus suo ordine de iure competeret: v. g. si præsente, & volente Parocho Laicus se illi præponeret, aut quid simile: vbi tamen in peruersione huius ordinis solum esset leuis offensio; non esset nisi veniale. Similiter si in aliquo repentino casu, in quo vix solet esse locus consultationi peruerteretur hic ordo, ex aliqua inaduertentia, aut animi perturbatione, etiam si intersit aliqua negligentia; existimarem non esse mortale. Legite Filliuccium *de Sacram. tract. 2. cap. 4. num. 82. Coninch quæst. 67. dubio 2.*

10. Similiter circa Ministrum huius Sacramenti aduerti debet quod nemo potest seipsum baptizare; item ille idem, qui

qui profert verba formæ, debet applicare materiam, & non vnus materiam, & alter formam. Similiter si vnus baptizat non debet simul alius eundem baptizare; hoc enim nulla necessitate cohonestari potest: quamuis si casus contingeret, ita vt vterque perficeret Baptismum prorsus in eodem instanti, esset validus Baptismus: si tamen vnus prius perficeret; hic solus baptizaret. Sed hæc dicuntur ad vberiorem doctrinam, non quia Minister huius Sacramenti his opinionibus irretiri debeat, sed, sequi debet viam ordinariam. Item potest vnus simul baptizare multos in casu necessitatis per aspersionem, dicendo. Ego vos baptizo, &c.

Subiectum Baptismi.

11 SVbiectum Baptismi, seu capax Baptismi est quilibet homo non Baptizatus, siue ante, siue post vsum rationis; & quidem de filijs Christianorum constat ex communi vsu Ecclesiæ non solum posse, sed debere baptizari nõ expectato vsu rationis, etiam inuitus ipsorum

rum parentibus, si id contingeret: nec ex parte puerorum requiritur vlla dispositio, sed sufficit esse viuos. Idem iudicium est de his, qui perpetuo sunt amentes, nam in hoc comparantur pueris, etiam si sint adulti, & senes: quod si non fuerint perpetuò amentes, dicendum est sicut infra de ceteris.

12. De filijs verò non Christianorum, cum etiam certũ sit esse capaces Baptismi, & si baptizentur Baptismum habere suum effectum, etiam inuitis parentibus, aut ijs, qui loco parentum sunt; quæri tamen solet, an liceat illos hoc pacto baptizare ante vsum rationis: nam post vsum rationis, si ipsi pueri velint, baptizandi sunt, licet inuitis parentibus: qua in re hæc communiora esse solent apud Doctores. Primo si infideles non sint sub dominio Principum Christianorum, non licet eorum pueros ante vsum rationis baptizare, parentibus inuitis, & extra casum extremæ necessitatis puerorum. Secundò si infideles sint mancipia dominorũ Christianorum, licere Dominis eorum pueros, etiam ipsis inuitis, baptizare: si vero infi-

infideles sint sub Christiano Principe, politica tantum seruitute ; non licere parentibus inuitis, illud facere : si tamen pueri essent in periculo vitæ iam iam morituri; licere eos baptizare, inscijs parentibus. Legi potest Suarius *Tom. 3. in 3. p. q. 25. art. 3. & seq* & Bonacina de Sacramentis *disput. 2. puncto 6.* vbi etiam aduertit, quod si vnus ex parentibus sit fidelis, alter infidelis ; poterit puer baptizari, inuito parente infideli.

13 Circa adultos baptizandos post vsum rationis, aduertendum est, quod in his, præter intentionem recipiendi Baptismum, reliquiritur aliqua dispositio ad effectus illius recipiendos: & quidem ad recipiendum Characterem, nihil aliud requiritur nisi intentio prædicta, at verò ad gratiam sanctificantem recipiendam, & remissionem peccatorum ; requiritur Fides in Christum: vnde debent prius instrui in Fide, saltem circa præcipua mysteria : & quidem si contingeret baptizandum nullum peccatum actuale habere, sed solum originale ; nulla alia dispositio re-

quireretur: si verò habeat actualia, & propria peccata, requiritur saltem aliqua attritio supernaturalis de illis: de qua attritione dicetur infra in materia de Confessione.

14 Quòd si talis adultus nullam haberet attritionem actualem, aut virtualem de peccato mortali, vel certe, quod deterius est, haberet affectum ad aliquod mortale; hic diceretur indispositus, & accedere cum fictione ad Sacramentum, & sic peccaret, nec reciperet gratiam: postea verò recedente fictione per supernaturalem contritionem, aut attritionem; reciperet gratiam Baptismi. Quod si hoc intermedio tempore commisisset etiam alia peccata mortalia, quæ dici possunt commissa post Baptismum, de quibus etiam necessaria esset saltem attritio; recedente fictione liberaretur per gratiam Baptismalem, non solum ab originali, & alijs peccatis ante Baptismum, sed etiam veluti indirectè ab illis post Baptismum: nisi quòd teneretur suo tempore hæc posteriora confiteri, tanquam commissa post Baptismum. Quod si adultus accederet ad Baptismũ

cum

cum affectu tantùm ad aliquod veniale; hic non diceretur accedere cum fictione, nec impediretur effectus Baptismi, nisi in hoc, quod tale veniale tunc non remitteretur, nisi recedente fictione ipsius.

15 Aliquando incidit dubium an aliquis sit vere baptizatus, aut an sit capax Baptismi, & an baptizandus: qua in re illud vniuersaliter aduertendum est, an talis, de quo dubitatur an sit capax, habeat dispositiones, & qualitates requisitas iuxta prædicta ad Baptismum, sic enim poterit baptizari, sin minus, non poterit: v.g. si incideret aliquis in amentiam, vel phrenesim, vel esset sensibus destitutus, & esset in periculo vitæ, nec esset baptizatus; si antea petijt Baptismum, nec retractauit hanc voluntatem, debet baptizari: item si esset mutus, & surdus, & videns alios baptizari, peteret suo modo Baptismum; instruatur in Fide quantùm fieri potest, & baptizetur: si nasceretur monstrum, de quo dubitaretur an esset homo, & an esset vnus, vel duo homines; adhibita conuenienti diligentia, fiat, quod prudēter iudicabitur:

& si opus fuerit baptizetur sub conditione, nempe, si es capax Baptismi, ego te baptizo, &c. si vero constet, quòd aliquis fuerit baptizatus, sed dubitatur de validitate Baptismi; si dubium sit rationabile, debet baptizari sub conditione: nempe, si non es baptizatus, ego te baptizo, &c. & idem dicendum est si dubitaretur an aliquis sit, vel non sit baptizatus.

Effectus Baptismi.

16 EFfectus Baptismi sunt Character, Gratia sanctificans cum suis virtutibus, & donis, annexis, remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, aliqua auxilia propriè pertinentia ad gratiam baptismalem, apertio ianuæ cœlestis, coniunctio hominis cum Christo, vt membri cum capite, subiectio hominis iurisdictioni ecclesiasticæ. De quibus Filiuccius *de Sacr. trac. 2. cap. 5.* Toletus *lib. 2. cap. 21.*

Ritus,

Ritus, & Ceremoniæ.

17 ATque hæc, quæ huc vsque dicta sunt pertinẽt veluti ad substantiam Baptismi. Præterea verò adhibentur ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ in Baptismo solenni aliquæ ceremoniæ; quæ habẽtur in Rituali Rom. quas non licet omittere sine graui culpa extra necessitatem: quod si in necessitate fuerit collatus Baptismus sine illis; sunt postea in Ecclesia adhibendæ, etiá si non repetatur Baptismus: quòd si semel fuerint adhibitæ; etiá si postea cõstaret Baptismũ non fuisse validè collatum, non sunt necessario repetendæ, sed solus Baptismus repetatur: hæ autẽ ceremoniæ, quæ dicuntur Sacramentalia Baptismi, sunt ab Ecclesia institutæ, tũ ob magnitudinem, & reuerentiam tanti Sacramẽti, tum ad deuotionem, instructionem, & excitationem fidelium, & ipsius baptizandi: continent etiam multa mysteria, & vim, & efficaciam contra Dæmonem. De quibus plura Bonacina *disput. 2. de Sacram.* in fine, & alij apud ipsum: *S. Tho. 3. p. q 66. art 10.*

18 Præterea ad completum ritum Baptismi solemnis, requiritur susceptor, qui dicitur Patrinus, qui non est necessarius in Baptismo priuato: hic autem potest esse duplex, primo si teneat, & suscipiat puerum solum in ceremonijs antecedentibus Baptismum, inter quas est Catechismus, seu instructio, & dicitur susceptor in Catechismo: 2. qui teneat puerum in ipso fonte Baptismi dum baptizatur, qui sæpe solet esse idem: & hic dicitur absolutè Patrinus, & iuxta Tridentinum non potest esse nisi vnus tantùm, vel vna tantùm, vel vnus: & vna tantùm. Quod si plures essent. tenetur baptizans determinare vnum, vel duos modo dicto, qui soli sunt Patrini: hi autem debēt esse tales, qui possint tali officio fungi: non possunt esse infideles, aut non baptizati, aut hæretici, imo nec Monachi: quo nomine probabile est nō venire alios religiosos, qui verè Monachi non sint, etiam si sint Mendicantes: incumbit autem Patrinis postea erudire eum, quem suscipiunt in rebus pertinentibus ad salutem, quamuis hæc obligatio vix nunc habeat locum inter Catholicos,

tholicos, quorum filij abunde habent hanc eruditionem aliunde. Quo modo autem in his oriatur quædam cognatio spiritualis, dicetur infra in impedimentis Matrimonij.

Appendix.

19 SOlet ex occasione Baptismi prædicti, qui dicitur Baptismus aquæ, seu fluminis, agi hic à Doctoribus de alijs duobus Baptismatis, nempe de Baptismo fluminis, & Baptismo sanguinis. Primus contingit cum quis adultus antequam actu baptizetur, habens Fidem in Christum, elicit actum perfectæ cõtritionis, & Charitatis, impellente interius Spiritu Sancto: hic enim statim sanctificatur cum voto Baptismi. Secundus contingit si aliquis Baptismum fieret Martyr: hic enim; vt supra tetigi, reciperet etiam gratiam sanctificantem. Sed hæc non pertinent ad nostrum institutum. Legi potest S. Tho 3. *p. q.* 66. *art.* 11. Atque hæc de Baptismo.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

Materia, Forma, & Definitio.

1 HOc est secundum Sacramentum, in quo etiam imprimitur Character, atque adeo est irreiterabile, per quod homo corroboratur in Fide, & veluti adscribitur militiæ Christi ad fortiter Fidem defendendam, si oportuerit, coram Tyranno, & inimicis Fidei: hic est enim proprius eius effectus, præter gratiam sanctificantem communem omnibus Sacramentis: de quo pauca quædam occurrunt dicenda.

2 Materia remota huius Sacramenti est Chrisma, quod componitur ex oleo oliuarum, & Balsamo, & consecratur ab Episcopo consecrato, neque est materia apta sine consecratione. Vtrum autem Balsamum sit de necessitate huius materiæ; probabilior sententia est, esse; omnes tamen conueniunt esse

esse de præcepto sub mortali, sicuti etiam est necessarium necessitate præcepti vt Chrisma sit nouum, id est eiusdem anni in die Cœnæ confectum, nam vetus comburitur, licet hoc non sit de necessitate Sacramenti. Materia verò proxima est vnctio talis Chrismatis factaab Episcopo pollice manus dexteræ per modum Crucis in fronte suscipientis: quæ vnctio debet esse sensibilis, vt diximus de ablutione in Baptismo.

3 Forma huius Sacrament consistit in illis verbis prolatis ab Episcopo dum vngit, nempe, signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti amen, circa quam eadem fere aduertenda sunt, quæ diximus in forma Baptismi: ex quibus colligi potest ita definiri posse Confirmationem. Est Sacramentum, in quo Episcopus, Chrismate consecrato, vngit baptizati frontem sub certa verborum forma ad Fidem viriliter profitendam coram Fidei inimicis: ponitur illa particula, baptizati, quia Confirmatio exigit Baptismum, alioqui nulla est. Solet etiam hoc

Sacramentum dici Chrisma, seu Sacramentum Chrismatis, propter Chrisma prædictum.

Minister, & Subiectum.

4 ORdinarius huius Sacramenti Minister est Episcopus: præterea probabilior sententia est simplicem Sacerdotem posse illud conferre ex commissione Summi Pontificis: nam Episcopus nulli delegare potest: & quamuis possit Episcopus quoscunque baptizatos confirmare, validè quidem, at non licitè, nisi suæ Diœcesis, & in sua Diœcesi; alienos vero, & in alterius Diœcesi ex licentia proprij Episcopi. Et quidem locus communiter est Ecclesia, quamuis possit etiam cõferri extra Ecclesiam, vt Episcopo videbitur.

5 Subiectum capax huius Sacramenti est quilibet baptizatus etiam ante vsum rationis, quamuis sit amens, aut moriturus, vt diximus de Baptismo. Communiter apud nos non confertur ante septennium: sed in hoc seruari potest vsus approbatus cuiusque Ecclesiæ.

Requi-

Requiritur in ſuſcipiente, vt ſit in gratia: quod ſi habeat conſcientiam peccati mortalis; vel confiteatur, vel conteratur, vt exiſtimet ſe eſſe contritum: & idē dicendum eſt de conferente. Probabile item eſt hoc Sacramentum non eſſe per ſe neceſſarium ex præcepto: niſi forte quando videtur neceſſarium ad profitendam Fidem coram Tyranno: relinquere tamen illud ex contemptu, eſſet mortale.

Ritus.

6 HAbet etiam hoc Sacramentum ſuas ceremonias non omittendas ſine cauſſa: de quibus legite Catechiſmum *Tridentinum* de hoc Sacramēto, & *Bellarm. tom.* 2, *de hoc Sacr. cap.* 13. Suarium *diſp.* 37. *ſec.* 1. & habetur in Pontificali Romano. Requiritur etiam in illo Patrinus, vnus, vel vna tantùm, & contrahitur cognatio ſpiritualis: de qua infra de Matrimonio. Patrinus debet eſſe confirmatus, & non idem, qui fuit in Baptiſmo extra neceſſitatem, nec vir vxoris, vel è contra, nec conſanguinei in primo gradu. Monentur etiam Epiſcopi

in *Trident. sess. 23. cap. 4.* vt nulli conferant ordines nisi sit confirmatus, licet validè conferri possint sine Confirmatione: nec videtur ibi contineri præceptum sub mortali. Habent etiam Episcopi grauem obligationem conferendi hoc Sacramentum suo tempore, pro vt illis prudenter videbitur: aut curare, vt ab aliquo alio Episcopo conferatur: & potest conferri etiam tempore interdicti.

DE SANCTISSIMO Eucharistiæ Sacramento.

Definitio, & Essentia.

1 SAnctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod est finis, & perfectio omnium Sacramentorum; rectè dicitur Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi: essentialiter enim consistit in speciebus Panis, & Vini consecratis cum reali, & vero præsentia Corporis, & Sanguinis Christi Domini existentis

stentis sub illis: atque adeo habet omnia requisita ad essentiam Sacramenti; est enim signum sensibile rei sacræ sanctificantis hominem: cum hac tamen differentia ad cetera Sacramenta, quòd alia sunt signa sensibilia rei sacræ sanctificantis solum formaliter, nempe gratiæ sanctificantis, hoc vero præterea est signum rei sacræ sanctificantis homines effectiuè, qualis est Christus Dominus. Sic ergo definiri potest. Eucharistia est Sacramentum, in quo sub speciebus Panis, & Vini consecratis, Corpus, & Sanguis Christi continentur ob nutrimentum spiritualis vitæ in Baptismo receptæ.

2 Circa hoc Sacramentum Ecclesia Catholica semper docuit post verba consecrationis à Sacerdote prolata, substantiam Panis conuerti in substantiam Corporis, & substantiam Vini in Substantiam Sanguinis Domini nostri Iesu Christi; ita vt nihil substantiæ Panis, & Vini remaneat, sed sit ibi realiter, & verè substantia Corporis, & Sanguinis vnà cum Anima, & Diuinitate Christi Domini, remanentibus

bus dumtaxat solis accidentibus Panis, & Vini: quæ conuersio dicta est Transubstantiatio. Fuit hoc Sacramentum institutum à Christo Domino in vltima Cœna; & quamuis integrè consistat in speciebus Panis, & Vini, modo dicto, realiter inter se distinctis; est tamen vnum numero Sacramentum in vnica refectione: quia significat vnam refectionem spiritualem. *S. Thom. 3. p. quæst. 37. art. 2.*

3 Similiter Ecclesia Catholica docet, quòd quamuis ex vi verborum consecrationis, solum Christi Corpus ponatur sub speciebus Panis, & solus Sanguis sub speciebus Vini; tamen per concomitantiam sub speciebus Panis, est etiam Sanguis, & sub speciebus Vini, est etiam Corpus: atque adeo totus Christus Dominus est sub vtrisque speciebus, & tantumdem accipit, qui in altera tantùm specie communicat, quàm qui in vtraque. Continetur etiam Christus Dominus sub singulis speciebus modo spirituali, scilicet totus in toto, & totus in qualibet parte, tam ante, quàm post diuisionem specierum:

cierum: & tamdiu manet sub illis, quamdiu illæ non corrumpuntur. Alia pertinentia ad admirabilem hanc conuersionem fusè tractant Theologi cum *D. Tho. 3. p. q 73. & Magistro sent. in 4. à distinct. 8. & alij.*

Materia, & Forma.

4 MAteria, quoad Corporis eõsecrationẽ, est Panis vsualis triticeus & non alius: qui in Ecclesia latina debet esse azymus, in græca fermentatus: quoad sanguinis verò consecrationem, est Vinum de vite, cui ex necessitate præcepti admiscenda est modica aqua: nec debet fieri consecratio in materia dubia. Forma in consecratione panis de essentia Sacramenti sunt illa verba. Hoc est Corpus meum: Vini verò sunt illa: Hic est Calix Sanguinis mei. Particula, enim, non est de essentia, sed de præcepto: vndè ex industria, aut contemptu non potest relinqui sine mortali. Quòd si ex aliqua inaduertentia, aut negligentia; erit veniale: illa verò verba in consecratione

tione Calicis, nempe, nouî, & æterni testamenti &c. vsque ad illa, hæc quotiescumque &c. exclusiuè, licet non sint de essentia formæ, secundùm probabiliorem sententiam; sunt tamen de substantia: atque adeo non possunt relinqui sine mortali. Plura de his *Suar. 3.p. to. disput 60. sect 1.* Materia consecranda debet esse moraliter præsens Sacerdoti celebranti, & determinata secundùm ipsius intentionem. Legite Bonacinam *disput. 4. quæst 2. puncto 5. & 6.*

Minister.

5 HVius Sacramenti Minister, quātum ad Consecrationem, est solus Sacerdos: quantùm verò ad distribuendum illud fidelibus; est etiam ex officio Sacerdos habens ordinariam, vel delegatam facultatem ad id faciendum: & in necessitate Diaconus: quamuis hoc nunc non sit in vsu, quia non deest copia Sacerdotum. Ordinariam facultatem habent, qui ex officio curam habent animarum, vt Parochus, &c. delegatam verò, qui ab his facultā-

cultatem, vel expressam, vel tacitam habent, aut priuilegium. Item neque nunc videtur esse in vsu, vt si quis esset in extremo vitæ periculo, & non esset neque Sacerdos, neque Diaconus, à quo posset hoc Sacramentum recipere; quòd possit illud recipere à Subdiacono, vel etiam à Laico; quia hoc Sacramentum in re non est tantæ necessitatis; quam uis aliqui contrarium existiment. *Bonac. de Sacr. disput 4 quæst 5. puncto 1. num. 6.*

6 Parochus tenetur hoc Sacramentum, vel per se, vel per alium Ministrare, non solum quando tenentur subditi illud recipere; sed etiam quoties rationabiliter illud petunt: tenetur tamen negare publico vsurario, aut peccatori, donec Ecclesiæ satisfaciat; non potest tamen negare quantumuis indigno, si solum in confessione Sacramentali sciat indignitatem ipsius, ne frangat sigillum confessionis. Perpetuo amentibus, & infantibus deneganda est Eucharistia. *S. Th. 3. p. q. 80. art. 9.* Cetera, quæ pertinent ad hoc Sacramen-

cramentum, eiusq; necessitatem dicentur infra in 4. præcepto Ecclesiæ, & aliqua in sequentibus.

DE EVCHARISTIA, vt est Sacrificium.

Quid, & in quo consistat.

7 EVchariſtia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam verum, & propitiatorium Sacrificium, antiquæ legis, & naturæ Sacrificijs figuratum, à Chriſto Domino inſtitutum, vt ſemper in Eccleſia perſeueret. Perficitur autem in Miſſa, & offertur ſoli Deo pro viuis, & defunctis. *Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & 2.* Dicitur, incruentum Sacrificium, quia in illo non effunditur verè, & reipſa ſanguis, ſicuti effuſus eſt in ara Crucis, ſed ſolum ſignificatur, & exprimitur Sacrificium illud cruentum Crucis, quod ſemel oblatum eſt

8 Sacerdos vnicus huius Sacrificij Miniſter in perſona Chriſti illud conficit

ficit in memoriam Passionis, & Mortis ipsius. Consistit autem essentialiter saltem in consecratione vtriusque speciei. Aliqui etiam addunt probabiliter, oblationem, quæ consequitur ad consecrationem, & sumptionem à Sacerdote, ad quam ordinatur illa panis, & vini oblatio, quæ antecedit consecrationem, de quibus plura Theologi. Certum est omnes has actiones esse necessarias ad perfectionem huius Sacrificij, & non posse relinqui sine graui peccato, sicuti nec cetera: de quibus *Tridentinum sess. 22 cap. 4.* & si quæ ad huius Sacrificium legitimum ritum pertinent; & ab Ecclesia sunt instituta, de quibus infra.

Offerens. Pro quo offertur. Et Effectus.

6 DE effectibus Eucharistiæ ita distinguendum est: potest enim considerari vt Sacramentum; & de hoc dicetur infra circa quartum præceptum Ecclesiæ: & potest considerari, vt Sacrificium; de quo hoc loco. Vt sic ergo

potest

potest comparari. Primo ad offerentes. Secundo ad illos pro quibus offertur. Et quidem primò per se, & immediatè offerens hoc Sacrificium est Sacerdos in persona Christi; reliqui vero Fideles medio Sacerdote, seu per Sacerdotem; & hoc pacto sicuti omnia alia opera hominis iusti merentur augmentum gratiæ, & sunt satisfactoria, & impetratoria, sic etiam & hoc opus iuxta mensuram deuotionis, & boni motus voluntatis eius, à quo offertur, & ex opere operantis. Difficultas ergo est de effectibus, quos facit in ordine ad illos, pro quibus offertur, & ex opere operato; qui etiam in duplici statu esse possunt; vel enim sunt in gratia, vel in statu peccati mortalis; nam etiam pro peccatoribus offerri potest hoc Sacrificiū, quemadmodum pro illis Christus in Cruce se obtulit in Sacrificium Patri.

19 Si ergo is, pro quo peculiariter offertur sit in peccato mortali, habet vim conferendi illi auxilia gratiæ, maiora, vel minora, & interdum etiam efficacia ad resurgendum à peccato

cato per contritionem, aut Sacramentalem confessionem. Mensura autem horum auxiliorum soli Deo nota est, & sic dicitur Sacrificium propitiatorium ad delenda peccata quoad culpam; si verò sit in gratia habet vim conferendi auxilia modo dicto ad augendam gratiam. Item valet ad pœnas pro peccatis debitas remittendas: vndę etiam pro animabus Purgatorij offertur: & sic dicitur Satisfactorium, Habet etiam vim impetrandi alia beneficia, prout expedit, præsertim saluti animarum; & sic dicitur generali vocabulo Impetratorium; quæ omnia habet præscindendo à sanctitate, aut bonitate Sacerdotis offerentis. Legi potest *Vasquez tomo 3. in 3. p. disp. 228.*

11. Peculiariter, & moraliter offerentes in hoc Sacrificio sunt illi, qui illud procurant, petunt, dant eleemosynam pro illo, qui assistunt Sacro, & qui inseruiunt; ij verò, pro quibus peculiariter, & in particulari offerri potest, sunt ipsemet Sacerdos, omnes fideles baptizati, non excommunicati maiori excommunicatione (licet pro his

his possit priuatim orare Sacerdos in memento, vt resipiscant.) Item catechumeni, infantes, amentes, energumeni, & demum infideles, licet non debeant in particulari publicè hi nominari: vltimò pro animabus Purgatorij, Pro omnibus autem his offertur iuxta vniuscuiusque capacitatem: vndè pro animabus Purgatorij offertur, vt Satisfactorium, pro infantibus baptizatis, vt Impetratorium, & eodem modo pro infidelibus: pro multis verò alijs etiam vt Expiatorium. Potest etiam pro Beatis offerri, vt Sacrificium gratiarum actionis, & Honorarium: nullo verò modo pro damnatis, Legite *Filliuc. Tract. 5. cap. 2. Coninch quæst. 83. art. 1. dub. 9.*

12 Non potest à Sacerdote suspendi fructus huius Sacrificij, ita vt hodie celebretur Missa, & applicatio differatur determinanda in futurum tempus: quia hoc Sacrificium habet vim, & efficaciam quando fit. *Filliuc. ex Suario, & alijs loco cit. cap. 3. n. 78.*

13 Fructus etiam huius Sacrificij, vt Satisfactorium est, de facto est finitus: vndè

vndè ſi offeratur pro pluribus minuitur in ſingulis. Quare non poteſt Sacerdos, qui habuit eleemoſynam ad faciendum Sacrum pro vna anima purgatorij v.g. applicare idē Sacrificium pro pluribus: ſic enim iniuſtè defraudaret animam illam parte fructus, & teneretur ad reſtitutionem pro parte. Idem *Filliuc. n.* 90.

Quoties, & quando celebrandum.

14 SAcerdos iuxta tutiorem, & receptam ſententiam debet, ad minus quater, vel ter in anno celebrare ſub mortali: præſertim in ſolemnioribus diebus, niſi aliqua rationabili cauſſa Prudentis arbitrio impediatur. Poteſt tamen quotidie ſi velit, celebrare, & ſit rectè diſpoſitus. Feria ſexta maioris hebdomadæ non poteſt. Feria quinta priuatim poteſt, ſed conſultius eſt communiter non fieri vbi conſuetudo eſt, vt vnus celebret, & alij communicent: & multo magis id ſeruandum eſt Sabbato Sancto: liceat priuatim aliqua ex cauſſa poſt pulſum campanarum ab aliquo celebrari poſſit. Semel in die tantum ordi-

nariè celebrari potest, excepto die Natiuitatis Domini, in quo ter celebrari potest, & ante auroram post mediam noctem: in alijs verò diebus ordinariè ab aurora, id est vna, & dimidia hora circiter ante ortum Solis vsque ad Meridiem circiter, seclusis priuilegijs. Quid autem fieri possit circa hæc in casibus grauis necessitatis, qui tamen vix, vel rarò apud nos contingunt; legite *Filliuc. loc. cit. cap. 4.*

Locus.

15 LOcus, in quo celebrari potest iurè communi est Templum, seu Ecclesia benedicta, fundata saltem auctoritate Episcopi: at verò ex priuilegio, & dispensatione Papæ licet etiam in Oratorijs, vel sacellis priuatis, quamuis non benedictis: & in casu grauis necessitatis in quouis loco decente terræ ex licentia Episcopi, in mari autem solius Papæ. In Ecclesia interdicta, vel violata siue per iniustam sanguinis effusionem, siue publicam humani seminis, & illicitam effusionem, siue in qua ex com-

excommunicatus non toleratus, aut infidelis maneat ſepultus; non licet celebrare antequam purificetur: quòd ſi violatio contingat dum Sacerdos celebrat; ſi ſit poſt inceptum canonem, abſoluat Sacrum: ſi ante, ceſſet à celebratione. Lege *Coninch q.* 83. *artic.* 3. *dub.* 1.

16. Miſſa celebrari debet ſuper altare, cui, ſi non ſit ipſum totum conſecratum, debet ſuperponi aliud altare, quod dicitur, paruum, conſecratum, lapideum, ſuper quod immediatè ſacrificium fiat, quod eſt neceſſarium ſub mortali. Debet altare eſſe triplici, vel ſaltem duplici mappa, ſeu linteo coopertum, cum duplici ad minus candela cerea accenſa, cum Cruce, & Miſſali, in quo ſaltem ſit integer Canon, qui incipit ab illis verbis: Te igitur, &c. vſque ad ſumptionem Sacramenti. In caſibus verò grauis neceſſitatis, præciſo ſcandalo, aut contemptu, aut graui aliquo inconueniente, poſſet celebrari cum vna mappa, vno lumine, etiam ex oleo ſine Cruce, & Miſſali, ſi Sacerdos memoria teneat, quæ

necessaria sunt: sed hæ necessitates non sunt facilè admittendæ, maximè apud nostras regiones.

Vasa, & vestes.

17 REquiritur ad hoc Sacrificiũ Calix, & Patena ex auro, argento, vel stanno, saltem quoad illam partem, quæ tangit immediatè species consecratas, & debent etiam esse consecrata ab Episcopo. Requiritur etiam Corporale, & Palla ex lino consecrata item ab Episcopo: Pixis verò, vbi asseruatur Sanctissimum Sacramentum; non est necesse vt sit consecrata, sed sufficit ad summum si sit benedicta. Requiruntur præterea sacræ vestes benedictæ, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Patena; prima duo debent esse linea, reliqua possunt esse Lanea, vel serica: atque hæc omnia requiruntur sub mortali: licet in casu grauis necessitatis possit aliquid ex minoribus relinqui, vt, cinculum, manipulus, &c. Requiritur præterea ad minimum vnus minister, qui Sacerdoti inseruiat, nisi in casu ma-

gnæ

gnæ neceſſitatis, *Suar. diſp. 87. ſec. 1. Coninch loc. cit. dub. 3.*

Rubricæ ſeruandæ.

18 SAcerdos celebrans debet ſeruare Rubricas, & Ritum Miſſalis : & quidem in vniuerſum ſub mortali : atq; adeo non poteſt vel in nullo, vel magna ex parte ſe illi non conformare, aut in ijs, quæ ſunt de ſubſtantia Sacrificij, iuxta prædicta: poterit tamen in multis excuſari paruitate materiæ : vt ſi omitteret nomen alicuius Sancti in Canone ex inaduertentia, aut aliquali negligentia, vel tempore Paſchali ea, quæ interponuntur propria in, Communicãtes, aut, Hanc igitur oblationem, &c. aut omittat commemorationem alicuius Sancti, aut Credo, vel Gloria, & quid ſimile, *Filliuc. loco citato cap. 5. num. 155.* Item poteſt ex aliqua cauſſa priuatim dicere Miſſam alterius diei, quàm in Miſſali præſcribatur. *Idem n. 145.* Non tamen debet addere nouas precationes ex ſua deuotione, aut nouas ceremonias Debet etiam ex eodem Miſſali in promptu habere quo

modo suppleri debeant defectus occurrentes siue ante, siue post consecrationem. Hæc, & alia, quæ pertinent, vt rectè suo munere fungatur Sacerdos; legere potest apud Auctores citatos & *D. Tho. 3. p. q. 83. art 5. & 6.*

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

NOtitia huius Sacramenti præcipuè necessaria est Confessarijs, & cuti frequens eius vsus valde etiam necessarius est lapsis post Baptismum, cùm sit medium necessarium ad remissionem mortalium: quare valde expedit, vt Cõfessarij familiarem habeant, & promptã Doctrinam ad vtilem talis Sacramenti administrationem, & vt iuuare possint pœnitentes in re tam necessaria ad totius vitæ directionem.

2. Pœnitentia est nomen Virtutis, & nomen Sacramenti. Primo modo Pœnitentia Christiana est Virtus, per quam dolemus de peccatis commissis, quatenus sunt offensa Dei: dolemus, inquam,

quam, ex aliquo supernaturali motiuo, de quibus infra. Secundo modo Pœnitentia est Sacramentum reconciliationis hominis cum Deo, ex peccatis commissis post Baptismum virtute clauium, seu absolutionis Sacerdotalis : atque hæc potest afferri pro definitione Sacramenti Confessionis, & Pœnitentiæ.

Minister.

3 MInister huius Sacramenti in omni prorsus casu debet esse Sacerdos, habens iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam in ipsum Pœnitẽtem. Quare confessio facta non Sacerdoti, nunquam est Sacramentalis. In articulo mortis quilibet Sacerdos potest absoluere ab omni peccato, & censura, si fuerit necessarium.

4. Confessarius, vt licitè ministret hoc Sacramentum, debet esse in gratia: alioqui peccat mortaliter toties quoties absoluit, licet absolutio sit valida, si Pœnitens est rectè dispositus. Quare si Confessarius habuerit conscientiam peccati mortalis; debet vel confiteri, vel

ri, vel elicere actum cõtritionis, aut saltem existimare se esse contritum.

5. Similiter ad licitam administrationem requiritur in Confessario aliqua scientia circa ea, quæ pertinent ad suum munus: nempe vt sciat differentiam peccati venialis, & mortalis, & cognoscat, quæ sint communiter peccata mortalia ordinaria, & circumstantiæ mutantes speciem &c. licet non habeat harum rerum exactam, & perfectam notitiam, sed sciat in difficilioribus dubitare, & cõsulere Doctores. Item vt sciat formam, & alia requisita, ad perfectionem huius Sacramenti, & dirigere Pœnitentem in rebus necessarijs.

6. Ad validitatem verò huius Sacramenti requiritur in Confessario, præter iurisdictionem, intentio absoluendi, saltem virtualis, qualis esset, si quando accedit ad audiendas confessiones, habet animum fungendi suo munere, vel quid simile, quem animum non retractet. Item requiritur in Confessario prædicta scientia: nam si nullam, vel valde tenuẽ haberet, iuxta prædicta; nec licita, nec valida esset absolutio, nisi in casu sum-

mæ

mæ necessitatis Ita *Filliucc. to* 1. *tract.* 7. *cap.* 9. *n.* 254. *& Alij, quos citat Vasq. to.* 4. *in* 3. *par. q.* 93. *art.* 3. *dub.* 2. licet aliqui probabiliter putent, ignorantiam Confessarij non reddere inualidam absolutionem, si pœnitens bona fide, & cum sufficienti dispositione confessus est: quod limito, nisi esset tanta ignorantia Confessarij, vt nesciret adulterium v. g. furtum, homicidium, blasphemiam, &c. esse peccata mortalia, aut si nesciret formam Absolutionis. Plura de his *Suar.* 3. *par. to.* 3. *disp* 16. *sec.* 3. *& tom.* 4. *disp.* 28. *sec.* 1. *&* 2. *Bonac. de Sacram. disp.* 5. §. 2. *Coninck de Sacram. q.* 64. *art.* 4.

7. Sacerdos excommunicatus vitandus, & non toleratus (de qua excommunicatione infra) non solum illicitè, sed etiam inualidè absolueret, quia caret iurisdictione. *Valent. tom.* 4 *disp.* 3. *pun.* 3. *fol.* 601. *in fine. Suar. de cens. disp.* 11. *sect.* 2. Nisi fortè in extrema necessitate Pœnitentis, quando non adesset alius Sacerdos: vt ibidem habetur *sect.* 1. aut in loco, vbi esset incognitus, & haberetur publicè pro legitimo Confessario, aut cum titulo colorato: nam in his casibus

censetur Ecclesia dare illi iurisdictionem.

8. Si Sacerdos sit excommunicatus non vitandus, non amittit iurisdictionem ad absoluendum, atque adeo validè absoluit, si nihil aliud desit: peccat tamen, & illicitè absoluit, si absque necessitate se ingerat ad audiendas confessiones, non obtenta priùs absolutione à censura *Filliucc. tom. 1. tract. 12. c. 3. num. 70. &c.*

9. Pœnitens non solum potest licitè petere hoc Sacramentum à Parocho, aut alio, qui ex officio tenetur illud ministrare, etiam si sciat, illum esse excommunicatum non vitandum, si subest sufficiens necessitas, aut vtilitas pœnitentis: sed in tali casu talis Sacerdos potest licitè ministrare, si putet, se esse contritum, aut in gratia: non est autem hoc petendum ab excommunicato, qui non tenetur ex officio, nisi in casu grauis necessitatis. *Filliuc. loc. cit.*

Partes

Partes huius Sacramenti.

10 PArtes Sacramẽti Pœnitentiæ ſunt duæ, materia ſcilicet, & forma: quod eſt commune omnibus Sacramẽtis. Forma eſt abſolutio Sacerdotalis Ego te abſoluo &c. Debet autem Confeſſarius memoriter ſcire integram formam abſolutionis ſecundùm ritum Romanæ Eccleſiæ, quam formam in calce operis habes.

11. Materia duplex eſt, remota, & proxima: remota autem, quæ ſunt peccata, item eſt duplex, neceſſaria, & ſufficiens: neceſſaria ſunt omnia peccata mortalia commiſſa poſt Baptiſmum nõ aliàs rite confeſſa, & abſoluta: ſufficiens ſunt peccata venialia, vel mortalia, aliàs rite confeſſa, & abſoluta. Dicuntur autem peccata materia remota: quia ſunt materia, ad quam deſtruendam, & abolendam ordinatur hoc Sacramentum: remota autem, quia non ſunt pars aliqua Sacramenti componens Sacramẽtum: proxima verò materia ſunt tres actus Pœnitentis, nempe contritio,

confessio, & satisfactio : quæ verè sunt partes huius Sacramenti, & subijciuntur formæ, nempe absolutioni. De quibus omnibus in particulari aliqua magis necessaria dicemus.

De Materia remota.

12 PEccatum mortale, quod dicitur esse dictum, factum, concupitum contra legem æternam; differt à veniali, 1. quia priuat gratia sanctificante, quod non facit veniale: 2. quia est inimicitia ad Deum, quod non est veniale: 3. quia verè, & propriè, & perfectè est contra legem Dei, & præcepta siue naturalia, siue positiua, & in materia graui. At veniale dicitur esse præter legem, aut contra imperfectè, & diminutè, scilicet in materia leui: & solum impedit, ne homo in feruentiores actus bonos, & Charitatis prorumpat;

13. Non potest fieri, vt ille actus, qui est peccatum veniale, fiat mortale: potest tamen fieri, vt illa, quæ prius erat materia peccati venialis, fiat materia peccati mortalis, mutatis circumstãtijs: v. g.

v. g. aliquod mendacium, ad quod non sequitur grauis proximi offensa, erit veniale: at in tali circumstantia grauis offensionis; poterit esse mortale: & sic de ceteris. Peccatum verò dubium non debet esse integra materia confessionis, sed addantur alia peccata, quamuis aliàs confessa, aut peccata venialia, vt possit dari absolutio sine conditione. Ad cognoscendum autem quando aliquod peccatum in particulari sit mortale, aut veniale; pendet ex notitia præceptorũ, & legis Christianæ: & vniuersaliter si sit in materia graui contra aliquam virtutem, aut præceptum, erit mortale.

14. Vitium differt à peccato: nam vitium significat habitum vitiosum in anima, qui inclinat ad peccandum: peccatum verò dicit actionem peccaminosam, & malam, quæ est materia confessionis, & dicitur peccatum actuale: nam datur etiam peccatum habituale, quod consistit in priuatione gratiæ, prout dicit ordinem ad peccatum actuale commissum: quæ priuatio deletur per absolutionem, mediante gratia sanctificante. Solet autẽ diuidi peccatum, in Deũ,

in seipsum , & in proximum. Item in peccata carnalia,& spiritualia. Item in peccatum commissionis , & omissionis. Item in peccatum cordis,oris, & operis. Item in peccatum per excessum, & per defectum : de quibus omnibus *S. Thom* 1 2.*q* 72. & nos infra suis locis agemus.

15. Præcepta,contra quæ sunt peccata,duplicis generis sunt : alia enim sunt affirmatiua, alia negatiua. Affirmatiua sunt, quibus præcipitur aliquid positiuum fieri: negatiua sunt, quibus præcipitur aliquid omitti, seu non fieri. v. g. Præceptum de audiendo Sacro est affirmatiuum , quia præcipit auditionem Sacri : Præceptum de non furando est negatiuum , quia præcipit omittere actionem furandi. Contra prima præcepta est peccatum omissionis : Contra secunda , est peccatum commissionis. Interdum etiam circa eamdem materiam,ratione diuersarum rerum , potest esse vtrumque præceptum , affirmatiuum, & negatiuum, quod dignoscendum est ex qualitate rei præceptæ.

De

De materia proxima, & primò de Contritione.

16 TRes illæ partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, non sunt omnes essentiales, sed tantùm duæ primæ. Illa autem dicitur pars essentialis, sine qua non potest perfici Sacramentum, & habere suum effectum gratiæ. Quare satisfactio, per seipsam, solùm est pars integralis, sicuti manus est pars hominis: nam ante illam Sacramentum pœnitentiæ habet effectum suum gratiæ, & remissionis peccatorum.

17. Contritio duplex est, alia perfecta, & dicitur absolutè contritio: alia imperfecta, & dicitur propriè attritio: contritio perfecta est dolor de peccatis, quatenus sunt offensa Dei summè dilecti, & super omnia: contritio imperfecta, quæ potest esse sine charitate, est dolor de peccato, quatenus est offensa Dei propter timorem inferni, aut turpitudinem peccati, aut quid simile: & hæc attri-

attritio sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ, etiam si non sit putata contritio, dummodo sit cũ proposito, saltem implicito, non peccandi.

18. Attritio merè naturalis, qualis esset dolor de peccato propter amissionem pecuniæ, vel honoris, vel sanitatis, &c. non sufficit ad hoc Sacramentum: quia non est attritio Christiana, seu Theologica, aut supernaturalis: non enim respicit vllum motiuum supernaturale: si verò sit propter pœnas etiam tẽporales, quatenus à Deo infligerentur propter peccata, sic sufficeret.

19. Si aliquis non haberet verum attritionem prædictam, sed existimaret probabiliter se habere; hic excusaretur à Sacrilegio, non tamen reciperet absolutionem: quia non habet veram materiã. Sicuti si quis baptizaret aliquo liquore, qui reuera non esset aqua, licet putaretur esse aqua, non valeret Baptismus: si verò aliquis scienter, & culpabiliter absolueretur sine attritione; fieret sacrilegium, & teneretur repetere confessionem.

20. Si aliquis vellet iterum confiteri peccata

peccata semel confessa, & absoluta, vt de nouo absoluatur, debet habere nouũ actum attritionis, tãquam nouam materiam Sacramenti: & quoties absoluitur, toties nouum actum attritionis habere debet, nisi forte haberet eumdem actum continuatum.

21. Extra Sacramentum cum contritione, aut charitate perfecta remittitur peccatum mortale, in voto tamen Sacramenti; vndè hic postea suo tempore tenetur confiteri sub mortali.

22. Ad Sacramentum hoc requiritur attritio ante absolutionem: non tamen necesse est, vt sit immediatè ante; sed sufficit, si sit initio confessionis, imo etiam ante, quando homo habuit voluntatem confitendi, & examinauit conscientiam, & numquam retractauit talẽ actum: & vniuersaliter quoties attritio præcessit, & fuit ordinata ad hoc Sacramentum, & virtualiter potest intelligi remanere vsque ad absolutionem; sufficit: neque enim necesse est, vt in hoc Sacramento materia, & forma sint simul, sed sufficit, si moraliter componant vnum veluti ens successiuum.

23. Ac-

23. Attritio debet esse de omnibus peccatis mortalibus, saltem implicitè, ad hoc vt sit sufficiens ad Sacramentum: quia non potest absolui, & subijci clauibus vnum mortale sine alio (ob infusionem gratiæ sanctificantis, quæ delet omnia peccata mortalia) sicuti potest veniale: atque ita ad confessionem de venialibus sufficit attritio vnius venialis tantùm: omnis autem attritio, vel contritio debet saltem implicitè includere propositum non peccandi, mortaliter quidem absolutè, venialiter autem saltem de vno peccato.

De Confessione.

24 CONfessio Sacramentalis, ante absolutionē debet esse integra, id est de omnibus mortalibus, seu de tota materia necessaria: potest tamen dimidiari in casu maximæ necessitatis, non ipsius Confessarij, sed pœnitentium: si scilicet esset periculum vitæ pœnitentis vnius, aut simul plurium pœnitentium: in quo casu si Pœnitens postea habeat spatium longioris vitæ, aut commodi-

moditatis; tenetur suo tempore omnia illa peccata subijcere confessioni, quæ in priori confessione non expressit, ex quibus tamen fuerat absolutus indirectè. Similiter potest tacere aliquod peccatum in confessione, quando ex illius confessione sequeretur malum graue ipsi pœnitenti, aut alteri ex malitia Confessarij.

25. Qui habet Casus reseruatos non potest confiteri solos casus reseruatos Superiori, & ab illo absolui, vel solos casus non reseruatos inferiori, & ab illis absolui, sed debet integram confessionem facere, vel cum priori, vel cum posteriori de licentia prioris, quoad casus reseruatos: si quis tamen bona fide putans se nõ habere casus reseruatos, cõfiteretur cum inferiori Sacerdote, & bona fide absolueretur ab illo; tunc esset absolutus ab omnibus: à non reseruatis quidem directè, indirectè autem à reseruatis, cum onere tamen adeundi Superiorem pro reseruatis, quando cognouerit fuisse reseruata.

26. Si aliquis bona fide confiteretur solos casus reseruatos cum non habente

auctoritatem, & ab eodem bona fide reciperet absolutionem; excusaretur quidem à peccato propter bonam fidem, non tamen absolueretur; quia neque directè ab illis absolueretur, cùm Confessarius non habeat iurisdictionem in illos, neque indirectè, quia non subijceret alia peccata confessioni, vt suppono.

27. Numerus peccatorum, & species sunt aperienda in confessione, quantùm fieri potest, præmisso diligenti examine; quo casu, si quis inculpabiliter obliuisceretur aliquorum peccatorum, absolueretur tamen ab illis indirectè, cum onere subijciendi illa confessioni, cùm recordabitur illorum. Quæ autem diligentia sufficiat ad hoc examen; standum est iudicio Prudentum: potest tamen, & debet Confessarius iuuare pœnitentem ad hoc examen in ipsa confessione, interrogando, &c. maximè si pœnitens sit rudis, aut immemor: neque tenetur pœnitens scribere peccata sua, aut confiteri per internuntium, sed sufficit, si faciat moraliter id, quod potest per se.

28. Ad exactam vndequaque confessionis

sionis perfectionem requiri solent multæ perfectiones ijs carminibus feræ contentæ.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, quæ sit parere parata.

Id est pœnitens, cùm confitetur, debet 1. confiteri peccata simpliciter, sine admixtione historiarum, & narrationũ inutilium, & rerum non pertinentium. 2. cum humilitate, non autem cum audacia, & iactantia. 3. cum animi puritate ad finem consequendæ absolutionis, & salutis. 4. cum fidelitate, certa pro certis, dubia pro dubijs referendo. 5. vt frequenter homo confiteatur, si potest, nec differat confessionem ad vnum annum. 6. vt explicentur peccata clarè, & distinctè, & sine æquiuocatione, aut diminutione. 7. vt suo loco, tempore, & debitis circumstantijs fiat: vel vt peccata dicantur distinctè, quoad speciem, & numerum, quantùm fieri potest. 8. vt sponte, & non coactè. 9. vt cum verecundia, & rubore

rubore dicantur peccata. 10. vt integrè, si sint mortalia. 11. vt non coram alijs audientibus, nisi fortè in casu necessitatis. 12. cum dolore de peccatis. 13. quam primum post commissum peccatum. 14. cum victoria omnium difficultatum, quæ solent impedire confessionem. 15. per modum accusationis, & non puræ narrationis. 16. cum animo adimplendi pœnitentiam, & consilia Confessarij.

29. Ex his conditionibus constare potest non omnes esse necessarias ad validitatem confessionis: maximè autem necessarius est dolor, fidelitas, & integritas. Confessio autem non solũ debet esse integra quoad numerum mortaliũ; sed etiam expressa quoad speciem: vnum autem mortale dicitur differre specie ab alio, vel quia est contra diuersam virtutém in specie ab alio, sicuti peccatum iniustitiæ, & peccatum intemperantiæ: vel quia est contra eamdem virtutem per excessum, aut per defectum, per omissionem, aut per commissionem: vt omissio actus Fidei, & infidelitas contra Fidem: auaritia, & prodigalitas

contra

contra liberalitatem, &c. Vndè peccata non differunt præcisè, neque multiplicantur propter multiplicationem præceptorum per se, sed propter diuersas oppositiones ad virtutes oppositas.

30. Confessio potest esse integra materialiter, & formaliter: 1. modo est, cùm pœnitens omnia peccata mortalia explicat, quæ commisit, nullo relicto: 2. modo est, cùm confitetur omnia peccata, quæ post sufficiens examen illi occurrunt, etiam si per obliuionem, aut inaduertentiam, aut aliquo alio excusante, relinquat aliqua peccata ex necessariò confitendis: tunc enim erit confessio integra solùm formaliter, quod sufficit in casu posito: primo verò modo erit integra formaliter, & materialiter.

31. Nullum est tam graue peccatum, aut cumulus peccatorum, qui per pœnitentiam, & confessionem deleri non possit: atque adeo nunquam est desperandum. Quòd si peccatum in Spiritum sanctum dicatur irremissibile, vel intelligitur de impœnitentia finali, cùm

cùm homo moritur in peccato mortali: vel si intelligatur de peccato procedente ex certa malitia, qua scilicet peccator per contemptum abijcit, & remouet id, quod deletionem peccati posset impedire; dicitur irremissibile, quia ex se excludit media ad remittendum peccatũ: absolutè tamen, per Dei misericordiam, & omnipotentiam remitti potest, *S. Th. 2.2. quæst. 14.*

De Circumstantijs peccatorum.

32 QVamuis circũstantiæ actus humani soleãt explicari illo versu,

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Tamen, non semper omnes sunt necessariò explicandæ in confessione, sed interdum vna, interdum alia. Pro quo sciendum est, quod circumstantiæ peccatorum sunt duplicis generis: aliæ quæ materiam venialem transferunt in mortalem: & hæ dici possunt aggrauantes in infinitum, quia quasi infinitè distat mortale à veniali in grauitate. v.g. leue mẽdacium est veniale: si autem addatur

circum-

circumstantia grauis nocumenti proximi; erit mortale: & hæ circumstantiæ semper sunt confitendæ. Si verò loquamur de circumstãtijs peccatorum mortalium; duplicis generis sunt: aliæ dicũtur solùm aggrauantes, aliæ mutantes speciem. Secundæ circumstantiæ sunt illæ quæ transferunt materiam vnius peccati ad materiam contra aliam virtutem: v.g. habere rem cum libera, esset simplex fornicatio contra castitatem, seu temperantiam, at verò cum coniugata, est etiam contra iustitiam: & cum consanguinea, vel affine, est incœstus: & cum Virgine inuita, est stuprum: & cum Religiosa, vel habente votum castitatis, est sacrilegium. Similiter furari res sacras est peccatum Iniustitiæ, & Sacrilegij Primæ autem circumstantiæ, quæ solùm sunt aggrauantes, sunt illæ, quæ non transferunt peccatum ad aliam speciem peccati contra aliam virtutem, sed intra eamdem speciem aggrauant: sicuti occidere hominem cum magno, vel paruo odio, vno, vel pluribus vlneribus: peccare in die Festo, & similia. Circumstantiæ ergo mutantes speciem semper

sunt confitendæ, quia addunt nouum peccatum: at verò solum aggrauantes non sunt necessario confitendæ, secundùm probabiliorem sententiam.

33. Circumstantia igitur mutãs speciem ex eo cognoscitur, quòd scilicet pertineat ad aliam virtutem, vel vitium: non mutans verò speciem, ex eo, quòd non transferat illam materiam ad aliam virtutem. Quæ verò in particulam transferat, vel non transferat; colligendum est ex ipsis materijs virtutum, & vitiorum. Et quidem circumstantię mutantes speciem, vt dixi, sunt omnino confitendæ, quia addunt nouum peccatum: at verò aggrauantes non sunt necessariò confitendæ, secundùm probabiliorem opinionem. Item confitendæ sunt circumstantiæ, quæ faciunt casum reseruatum.

Aliqua notanda circa confessionem.

34 CONfessio Sacramentalis potest esse valida in aliquo casu, sed informis, id est carens forma absolutionis; nempe si aliquis confiteatur omnia peccata

cata sua animo subijciendi illa clauibus, sed pro tunc habeat affectum ad aliquod peccatum, quod etiam ipsi Confessario aperiat, vt oret pro ipso : hæc confessio est verè sacramentalis, & valida: & cessante postea fictione, non est iteranda eidem Confessario, sed sufficit confiteri illud peccatum, ad quod vigebat affectus, & accipere absolutionem. At verò, quòd integrum Sacramentum Pœnitentiæ possit esse in aliquo casu validum, & informe; probabilius est non posse: quia integrum Sacramentum constat vera, & integra confessione, & vero dolore omnium peccatorum, & absolutione : quæ omnia si concurrant, sequetur infusio gratiæ, & ita erit Sacramentum validum, & formatum. Sacramentum autem esse validum, & informe nihil aliud est, nisi habere omnes suas partes essentiales cum intentione Ministri, & voluntate recipientis, & tamen non habere effectum gratiæ: quod in Baptismo, & alijs Sacramentis potest contingere propter obicem, seu indispositionem subiecti; at in pœnitentia non potest, quia dis-

positio subiecti est pars essentialis Sacramenti pœnitentiæ.

35. Si quis malè confiteatur, quia vel malitiosè non confitetur omnia mortalia, vel non habet dolorem culpabiliter, nec propositum emendationis; peccat mortaliter peccato sacrilegij, & tenetur reiterare confessionem. Quòd si contingat in sequenti confessione obliuisci huius sacrilegij inculpabiliter, facta confessione omnium aliorum peccatorum; absoluetur ab omnibus peccatis, etiam ab illo sacrilegio, cum onere tantùm repetendi illam confessionem priorem inualidam, quando id resciuerit, non autem repetendi alias confessiones subsequentes validas. Quare duæ sunt conditiones omnino necessariæ ad validam confessionem adæquatè: nempe vt sit integra, modo supradicto, & vt sit dolorosa, id est cum sufficienti dolore.

36. Non potest fieri confessio absenti Sacerdoti, & ab illo absente recipi absolutio: vt iam per Sedem Apostolicam decretum est. Si quis tamen vocaretur ad absoluendum aliquem moribundũ,

qui

qui petijt Confessarium, si alij id testificentur, etiam si ipse moribundus nullũ signum præbere possit, debet illum absoluere præsentem.

37. Dicere mendacium in confessione, non semper est mortale: nisi quando vel esset integra materia confessionis, vel pertineret ad materiam necessariam, ita vt reddat confessionem inualidam: alioqui per se est veniale.

38. Non debet pœnitens reuelare in confessione complicem sui peccati in materia graui, vndè alioqui sequeretur grauis infamia illius apud Confessariũ, qui ipsum nouit, aut facilè cognoscere potest. Non est tamen illicitum illum reuelare Confessario, quando hoc esset necessarium ad integritatem confessionis, & non esset commodum, aut expediens, quærere alium Confessarium, qui illum non nouit: quamuis probabile sit, etiam in tali casu, posse omitti tale peccatum secundùm id, ex quo sequeretur complicis reuelatio, remanente confessione integra formaliter, donec veniat commoditas confitendi tale peccatum explicitè cum alio

Confessario. Potest etiam reuelatio cõplicis esse licita propter aliquam vtilitatem ipsius, aut aliorum, Prudentis iudicio. De qua re *Suar. tom. 4. in 3. part. disput. 34. sect. 2. Diana par. 1. tract. 7. resol. 40.* tenebitur tamen in eo casu Confessarius sub sigillo confessionis ad secretum seruandum : nec potest vti tali notitia absque licentia pœnitentis. Suarius *ibidem sect. 3.*

De Satisfactione.

39 SAtisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti debet esse in ieiunijs, eleemosynis, orationibus, pœnitentijs, & alijs operibus pijs, iuxta qualitatem peccatorum, & pœnitentium : pro venialibus tamen potest iniungi quælibet leuis pœnitentia ad arbitrium Confessarij, cùm de illis non sit pœna taxata. Non est necesse, vt pœnitens sit in gratia quando facit pœnitentiam, licet non habeat fructum pœnitentiæ, nisi sit in gratia.

40. Debet Confessarius, semper aliquam pœnitentiam imponere : & si pœnitens

nitens nullam vellet acceptare, quod moraliter videtur impossibile; non debet absolui: licet aliqui contrarium teneant, existimãtes sufficere, si in alia vita velit pœnitentiam facere.

41. Ille qui confitetur mortalia, tenetur regulariter sub mortali facere pœnitentiam iniunctam: nisi Confessarius nollet illum ad hoc obligare: si verò sola venialia confiteatur; non tenetur sub mortali, sed sub veniali facere pœnitentiam: non erit tamen mortale aliquam partem paruam pœnitentiæ omittere.

42. Si quis obliuiscatur pœnitentiæ iniunctæ; non tenetur repetere confessionem præteritam, sed confiteri de tali obliuione: & tunc iudicio Confessarij imponenda est noua pœnitentia, iuxta præsentem statum pœnitentis.

43. Si quis velit sibi mutari pœnitentiam à Confessario iniunctam; debet adire illum eumdem Confessarium, à quo fuit iniuncta: si verò non possit illum adire; non potest alius Confessarius per se, & directè talem pœnitentiam immutare, nisi repetatur confessio illa, in

qua fuit iniuncta; potest tamen indirectè, quatenus status præsens pœnitentis exigit aliquam aliam dispositionem circa has pœnitentias, qui status iam pertinet ad præsentem confessionem.

44. Hæc pœnitentia imponitur prò pœna temporali, quæ post absolutionem à culpa sæpè remanet soluenda à pœnitente: vndè si Sacerdos aduerteret magnum dolorem in pœnitente, potest minuere satisfactionem. Hæc autem pœnitentia, quatenus pars Sacramenti habet suum effectum ex opere operato, id est ex ipso opere, supra id quod ipsum opus ex se aptum esset satisfacere, v.g. si aliquis vno ieiunio voluntariè assumpto satisfaceret pro pœna vnius mensis in Purgatorio; eodem ieiunio, vt est pars Sacramenti, & ex opere operato, satisfacit pro duobus mensibus, &c. hanc autem taxam solus Deus scit.

45. Potest hanc satisfactionem, si velit, etiam ipse Confessarius supplere per proprias pœnitentias ad id assumptas.

De

De Absolutione.

46 FOrma absolutionis necessaria, ad minimum continetur illis verbis, Absoluo te: illa vero verba, à peccatis tuis In nomine Patris, &c. non sunt omittenda absque maxima necessitate: neque extra casum necessitatis omitti possunt, absque peccato : quod puto esse mortale, saltem si omittantur illa verba; à peccatis tuis, propter communem vsum Ecclesiæ, & ad vitandum aliquale periculum inualiditatis. Reliqua verò verba, quæ ante absolutionem præmitti possunt, vt, Misereatur tui, &c. vel subdi, vt, Passio Domini nostri; &c. non sunt de necessitate præcepti, sed relinquuntur arbitrio Confessarij: semper etiam debet præcedere forma absolutionis à censuris, si forte pœnitens indigeat.

47. Si Confessarius obliuisceretur præmittere absolutionẽ à Censuris, qua reuera pœnitens indiget; si censuræ non sunt reseruatæ, sed quomodolibet non excedunt potestatem absoluentis, &

confessarius absoluat à peccatis; eo ipso absoluit etiam à censuris: quarum absolutio implicitè continetur in absolutione à peccatis, & in voluntate absoluentis: vndè si in articulo mortis, quis absolueret à peccatis, nulla facta mentione censurarum; erit pœnitens, alioqui rectè dispositus, absolutus à censuris: nam peccata possunt absolui, tum quoad culpam, tum quoad pœnas has Ecclesiasticas, ab habente auctoritatem. Atque adeo cùm Sacerdos dicit, Absoluo te à peccatis tuis, si non præmittat explicitè absolutionem à censuris, necessariò implicitè intelligit quoad vtraque, alioqui non rectè fungeretur suo munere.

48. Si verò censuræ excedunt potestatem absoluentis: si pœnitens bona fide tacuit censuram, quia putabat illam non habere; erit absolutus à peccatis, modo quo infra, non autem à censura: potest enim esse per accidens absolutio à peccatis, remanente censura: nam gratia sanctificans, per quam remittuntur peccata, non est incompossibilis cum censuris: ordinariè tamen, & per se non

non potest fieri absolutio Sacramentalis à peccatis, nisi præcedat absolutio à censuris: loquendo de illis censuris, quæ priuant hominem passiua receptione Sacramentorum. Vndè si Sacerdos scienter absolueret à peccatis excommunicatum, quem non potest absoluere à censura; peccaret mortaliter, regulariter loquendo. Absolutio vero à censuris potest fieri quocunque verbo, aut signo externo, sufficienter significatiuo talis absolutionis, loquendo in foro conscientiæ tantùm, seu in absolutione secreta: nam in publica absolutione seruari debent quædam peculiaria, quæ refert *Filliuc. tom. 1. tract. 12. cap. 10. numer. 246.*

49. Confessarius in fine confessionis, ante absolutionem non tenetur habere distinctam memoriam omnium peccatorum, quæ audiuit, sed sufficit habere confusam: dummodo distinctè illa audierit, dum pœnitens confitebatur, & iudicium sufficiens fecerit de illis: nec tenetur, audito quolibet peccato, distinctè iudicare, an fuerit mortale, an veniale, nisi in communioribus, & ordinarijs:

& ad id poterit iuuari scientia pœnitentis: nec si postea constiterit aliquod peccatum fuisse mortale; si distinctè fuit explicatum, est reiteranda eius confessio. Ita Bonacina, & Vasquez, & alij supra cit. cum ageretur de scientia Cõfessarij.

50. Non potest dari absolutio à peccatis sub conditione de futuro: quia non potest suspendi effectus gratiæ, si pœnitens sit dispositus; neque potest dari talis absolutio ad reincidentiam: quia peccata, quæ sunt mala culpæ, non redeunt, si semel sint remissa.

51. Si Confessarius aliquem errorem casu in confessione commiserit, v. g. quia absoluit à peccatis reseruatis, cùm non posset, aut quid simile; tenetur, cũ potest commodè, petere licentiam à pœnitente loquendi cum illo de aliqua re, quam audiuit in eius confessione, & pœnitens tenetur dare licentiam, vt dicetur infra num. 55.

52. Si Confessarius ante absolutionem dubitet de sufficientia, & dispositione pœnitentis; admoneat ipsum, vt eliciat actum doloris de peccatis, etiã omissis per obliuionem, & habeat propositum

positum non peccandi : & doceat quo modo talis dolor sit eliciendus : item præcipua Fidei mysteria, si pœnitens sit rudis, & fortè illa ignoret : & breuiter hortetur ad vitæ emendationem, &c. neque ob multitudinem pœnitentium hæc relinquat, si videantur necessaria.

53. Potest, & debet interdum Confessarius denegare absolutionem ad tẽpus, si id iudicauerit necessarium ad salutem pœnitentis: vt scilicet ille relinquat proximas occasiones, vel restituat, vel quid simile faciat iudicio Confessarij necessarium.

De Sigillo Confessionis.

54 EX confessione Sacramentali oritur sigillum, quod est obligatio Confessarij ad nõ reuelanda peccata audita in tali confessione, etiam post mortem pœnitentis. Primo autem, & principaliter cadunt sub sigillum peccata: secundò omnia, ex quibus peccati alicuius possint auditores venire in cognitionem : tertiò defectus naturales,

qui solent minuere bonum nomen, & honorem, aut famam alterius: & vniuersaliter alia, quæ possunt reddere odiosam confessionem: non autem alia, quæ non pertinent ad confessionem. Ad hoc autem sigillum tenetur Confessarius tã ex fidelitate, quàm ex iustitia, & ex religione: & præcepto diuino, & naturali, & ecclesiastico.

55. Non potest Confessarius dicere talem v. g. confessum esse peccata mortalia, etiam in genere, & multo minus in particulari: potest tamen in genere dicere, quòd confessus sit venialia: quia confessio, & absolutio non potest esse saltem sine venialibus: vnde hoc non est reuelare confessionem: non poterit tamen dicere, talem confessum esse hoc, vel illud veniale in particulari: neque confessum esse multa, aut magna venialia determinatè: neque potest facere comparationem inter pœnitentes, asserendo aliquem esse bonum virum, non item alium, & similia, si solum loquatur ex notitia habita in confessione: neque potest vti notitia in confessione habita in damnum, siue spirituale,

rituale, siue temporale pœnitentis: item in nullo prorsus casu licet frangere hoc sigillum : neque in illo datur paruitas materiæ ex parte reuerentiæ Sacramentalis , & fidelitatis in re tam graui.

56. Non solum cum alijs , sed neque etiam cum ipso pœnitente , potest Confessarius loqui extra confessionem de peccatis ipsius auditis in confessione. Quare si aliquando ad supplendum aliquem defectum in confessione commissum , indigeat Confessarius loqui de peccatis cum ipso pœnitente; petat ab ipso veniam loquendi cum ipso de materia pertinente ad confessionem : quòd si pœnitens id neget, quod tamen facere non debet ; moneat ipsum Confessarius de suo malo statu in neganda hac licentia. Aliqui etiam volunt , quòd tunc potest loqui cum ipso de tali peccato , vel defectu, saltem addens, se loqui in confessione: quia tunc pœnitens irrationabiliter est inuitus. Ita *Suar. tom* 4 *in* 3. *p. distinct.* 33. *sect.* 5. *n.*3. Item si pœnitens extra confessionẽ incipiat loqui cũ Cõfessario de peccato,

quod

quod confessus est ; poterit Confessarius loqui de eodem cum pœnitente: quia iam pœnitens videretur licentiam dare Confessario Bonacina *tom.1.disp.5. quæst.6.punct.4.num.11.*

57. Agunt de hoc Sacramẽto passim Theologi,& Casistæ. *Suar.3.par. tom.4. Filliuc.tom.1.tract. 6. & sequent. Bonac. tom.1.tract.de Sacram. disp. 5. Tolet.lib 3. Fagund.de Ecclesiæ præcepto 2. Diana par.3. tract.4. & Alij.*

CIRCA BVLLAM Cruciatæ.

1 AD Sacramentum Pœnitentiæ conuenienter adnecti solet notitia de bulla Cruciatæ, & Iubileis : in his enim frequens esse solet vsus confessionis:& etiam multa priuilegia conceduntur pœnitentibus in ordine ad hoc Sacramentum. Quare more nostro aliqua magis necessaria, & communia afferemus: reliqua legi possunt apud Auctores citandos.

2. Bulla

2. Bulla est Diploma, seu Breue Pōtificium, in quo multæ gratiæ conceduntur dantibus certam eleemosynam in subsidium belli contra infideles, & hæreticos.

3. Per priuilegiū Bullæ possunt pœnitentes in aliquibus locis eligere sibi Confessarium, approbatum ab Ordinario, per quem absoluantur in foro conscientiæ ab omnibus peccatis, & censuris quibuscunque, præmissa debita satisfactione, vbi opus erit, excepto peccato hæresis perfectæ, & externæ: & quidem semel in vita infra annum, quo durat prædictum Priuilegium, quando illis placuerit, & semel in articulo mortis.

4. Cum hac tamen differentia, vt à peccatis reseruatis Summo Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ de quibus infra; non nisi semel in vita, & semel in morte, vt dictum est: ab alijs autem quibuscumque peccatis, etiā reseruatis Ordinario, possunt absolui toties, quoties: pro peccato vero hæresis debent accedere ad Inquisitores, vel alios habentes auctoritatem absoluendi ab illa.

5. Præterea si quis indigeret absolui denuo

denuo à casibus reseruatis Summo Pontifici ; potest per aliam Bullam iterum absolui semel in vita, & semel in morte: non potest autem tertiam Bullam accipere in eodem anno.

6. In articulo mortis non potest absolui beneficio Bullæ ab hæresi , licet possit iure communi. Item in articulo eodem non potest vti beneficio Bullæ, nisi eligat Confessarium approbatum ab Ordinario: licet possit à tali Sacerdote non approbato absolui sine Priuilegio Bullæ. Vnde si absoluatur ab hæresi; tenetur postea, si conualuerit, adire legitimum Superiorem , ne incidat in eamdem excommunicationem.

7. Non est necessaria formula illa absolutionis, quæ ponitur in ipsa Bulla, vt aliquis absoluatur beneficio Bullæ: sed sufficit absolutio ordinaria, cum intentione tamen absoluendi beneficio Bullæ, concedendo præterea Indulgentias Bullæ.

8. Non est necesse, vt pœnitens habeat Bullam secum , sed satis est, vt habeat domi : & si illam casu amitteret; probabile est, posse frui beneficio Bullæ; si au-

si autem sponte proijceret; non posset frui.

9. Absque Bulla non potest quilibet in talibus Regnis consequi vllam Indulgentiam, nisi expressè derogetur ipsi Bullæ.

10. Si quis habens Bullam, in aliud Regnum, vbi non est vsus Bullæ, proficisceretur, non gauderet priuilegio Bullæ, quoad carnes, & lacticinia: si autem aliquis alterius Regni iret in Siciliam, v.g. etiamsi esset discessurus, dum tamen ibi commoraretur, gauderet priuilegio Bullæ.

11. Durat Bulla à die publicationis, vsque ad diem sequentis publicationis inclusiuè.

12. Non potest quiuis vti Priuilegio Bullæ, nisi postquam verè illam habeat, nec sufficit propositum accipiendi.

13. Qui accipit Bullã creditò, seu dilata solutione, potest frui eius priuilegijs, etiamsi ex negligentia non soluat: solũ enim tenetur ad restitutionẽ talis debiti.

14. Non potest absolui per Bullã Paganismus, Iudaismus, vel totalis Apostasia à Fide: hæc enim omnia continentur

voca-

vocabulo hæresis: si tamen hæresis, & reliqua prædicta essent merè interna, id est nullo facto, aut signo sensibili explicata; non esset casus reseruatus, nec haberet adnexam excommunicationē: sicuti nec esset casus reseruatus in Bulla Cœnæ, si quis ficte, & simulatè negaret Fidem exteriùs tantùm: quare posset etiam absolui in foro Sacramentali, licet Inquisitores possent contra illum procedere.

15. Per Bullam non potest absolui inuitus à censuris: quia non vult vti suo priuilegio. Superior tamen, qui potest ferre censuram; potest etiam absoluere ab illa inuitum: quia cùm hæc sit absolutio à pœna, non dependet à voluntate patientis, & sic potest tolli à Superiore: à peccatis verò nemo potest absolui inuitus: quia ad hanc absolutionem requiritur dispositio, & dolor, & voluntas pœnitentis, cùm sit absolutio à culpa.

16. Absolutio à censuris, & commutatio votorum potest fieri à Confessario, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, virtute Bullæ.

17. Si

17. Si quis indigens priuilegio Bullæ ob casus reseruatos, inchoasset confessionem ante absolutum tempus priuilegij Bullæ, sed non potuisset perficere confessionem, nec habere absolutionẽ; poterit absolui priuilegio Bullæ, etiam post elapsum tale tempus: quia fuit iudicium inchoatum, & per accidens dilata absolutio.

18. Similiter si quis bona fide confessus fuerit omnia sua peccata, intendens absolui beneficio Bullæ; si oblitus fuerit inculpabiliter alicuius casus reseruati, etiam si ab illo fuerit solum indirectè absolutus, tamen talis casus non est ampliùs reseruatus: atque adeo, etiã elapso tempore Bullæ, poterit illud confiteri cuilibet Confessario approbato, & absolui directe ab illo.

19. Possunt beneficio Bullæ, non quidem dispensari, aut relaxari, sed commutari omnia vota, etiam iurata: exceptis tribus, nempe Castitatis perpetuæ, Religionis, & vltra marino ad Hierusalem (excluſis semper votis Religiosorum solemnibus, & votis simplicibus Societatis Iesv.) In hac commutatione illud

illud est necessario à Confessario seruandum, vt primo imponat pœnitenti, vt det aliquam eleemosynam in subsidium Cruciatæ, arbitrio ipsius Confessarij: hoc enim exigitur à Bulla ipsa; hæc vero eleemosyna reponi potest in capsula huic fini, à Commissario Cruciatæ in certo aliquo Templo destinata: reliquũ verò, quod necessarium esset ad cõmutationem; potest imponi iudicio ipsius Confessarij, vt libuerit.

20. Ad hanc commutationem non requiritur causa, sed sufficit Priuilegium Bullæ. Item illa tria vota reseruata, quæ recensuimus numero præcedenti, si non sint absoluta, sed pœnalia, aut conditionalia; probabile est non esse reseruata, sed posse commutari priuilegio Bullæ.

21. Si vota sint emissa in fauorem tertiæ personæ, quæ acceptauerit promissionem; non poterunt talia vota commutari ratione talis acceptationis, propter præiudicium iniustum tertiæ personæ: si autem promissio nullo modo sit acceptata; poterunt commutari.

22. Po-

22. Potest præterea pœnitens per propriam Bullam, quæ dicitur compositionis retinere sibi debita incerta, vsque ad summam 300. aureorũ, & 21. cum tarenis 8. & granis 6. aut æquiualentis accipiendo tot Bullas, quot sufficiunt ad talem summam: ita vt pro vna Bulla retinent sibi duas vncias, & tarenos 17. cũ granis 4. in Regno Siciliæ.

23. Quod si debitum hoc incertum excedat summam 300. aureorum; non poterit vti beneficio talis Bullæ, saltem quoad excessum; sed debet facere peculiarem compositionem cum Commissario Cruciatæ: quæ compositio poterit fieri secretò, & per tertiam personam.

24. Si verò talia debita incerta facta sint in confidentiam Bullæ; non poterit vti beneficio Bullæ ad illa: id enim cautum est in eadem Bulla: licet peccata commissa in confidentiam Bullæ possint absolui, quia de his nihil habetur in Bulla.

25. Si alicui post acceptas Bullas compositionis innotescat suus debitor; tenetur restituere, subtractis expensis Bullæ, reliquum, quod habet, vel totũ;

quod

quod si omnia, bona fide consumpserit ad nihil tenetur.

26. Potest etiam pœnitens, beneficio Bullæ, vesci lacticinijs in diebus ieiunij, (exceptis Sacerdotibus, & alijs Prælatis ante sexagesimum annum pro ieiunijs Quadragesimæ) & quidem ad libitum, & sine alia causa, siue ieiunet, siue non ieiunet: & quamuis Bulla videatur dicere, quòd possit vti lacticinijs seruata forma ieiunij; tamen hoc nõ dicit ad excludendum, quòd si non ieiunet non possit illis vti, sed potius ad ampliãdum, vt quamuis ieiunet, possit illis vti, & seruare ieiunium.

27. Pro Sacerdotibus, & alijs Prælatis conceditur peculiaris Bulla ad vescẽdum lacticinijs in Quadragesima.

28. Qui vouit ieiuniũ potest comedere lacticinia cum Bulla, vt in alijs ieiunijs: nisi ipse aliter senserit in suo voto.

29. Sunt etiam alia Priuilegia Bullæ quoad Indulgentias, & tempore Interdicti, & multæ aliæ cõpositiones, vt patet in ipsa Bulla. Agũt de hac materia *Emanuel Rodriquez in Expos. Bullæ Diana par. 1. tract. 11. Ludou. à Cruce disp. de Bulla*, & Alij

& Alij paulo post citandi ex occasione Iubilei.

DE IVBILEIS.

1 POst Bullam subdi potest aliquid de Iubileo, quod est veluti quædam Bulla quindecim fere dierum. Solent enim Summi Pontifices, propter publicas necessitates, ad excitandam fidelium deuotionem, concedere indulgentiam plenissimam, qualis concedi solet anno Iubilei, sub quibusdam cõditionibus, quæ solẽt esse, Ieiunium, eleemosyna, Ecclesiarum visitatio cum oratione, Confessio, & Communio: & conceduntur similia ferè priuilegia, vt in Bulla, nempe absolutio à reseruatis per quemcumque Confessarium approbatum ab Ordinario loci, commutatio item votorum. Qua in re primò, & maximè aduertenda sunt verba, & clausulæ, quæ ponuntur in Breui Apostolico, & iuxta hæc soluuntur difficultates, & diriguntur pœnitentes, & multa sunt prorsus

sus communia cum ijs, quæ dicta sunt de Bulla.

2 Probabile est per Iubileē posse Cō-fessariū absoluere ab hæresi in foro conscientiæ, quando vniuersaliter omnes casus, etiam contenti in Bulla Cœnæ Domini, conceduntur; quamuis enim regulariter in concessionibus generalibus non includatur hæresis; tamen, cùm Iubileum sit priuilegium extraordinarium, procedens à summa benignitate, & liberalitate Pontificum, ob vniuersales necessitates Ecclesiæ; probabile est Pōtifices velle etiam hoc peccatum includere, nisi expressè excludant; sicuti iustis de causis interdum expressè excludunt. Ita *Filliuccius tom.* 1 *tract.* 8. *cap.* 20. *num* 265. *Fagundez de præceptis Ecclesiæ, præcep.* 2. *lib.* 8. *c.* 8. *num.* 38. & Alij apud *Dianam par.* 1. *tract.* 5. *resol.* 1.

3 Qui peccat in confidentiam Iubilei peccato reseruato, si pœniteat, & legitimè confiteatur; poterit absolui, nisi in Iubileo exprimatur, quòd peccata reseruata, facta in confidentiam Iubilei, non possunt absolui. *Filliuccius loco cit. num.* 262. Vbi aduerte, quòd aliud

aliud est peccare, posita notitia Iubilei, seu post eius notitiam, aliud in confidentiam ipsius; nisi enim notitia influat aliquo modo in peccatum, & sit eius caussa; non transit in confidẽtiam. Item qui post confessionem iterum peccat peccato reseruato; poterit iterum absolui, si non expirauerit tempus Iubilei pro ipso. *Filliuccius loco cit. num.* 278. *Sanchez in Sum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 28. qui *num.* 30. secutus Suarium, docet eum, qui prima hebdomada sumpsit Iubileum, non posse sumere in secunda, nec secundò frui priuilegijs Iubilei; licet alij probabiliter contrarium doceant. Idem habet *Filliuccius loc. cit. num.* 278. quæ res valdè dependet à tenore verborum Iubilei.

4 Non solum peccata reseruata oblita possunt post elapsum tempus Iubilei absolui à quolibet Confessario, quia sublata est reseruatio, sed etiam Aliqui probabile putant posse commutari vota tempore Iubilei non commutata, saltẽ, quæ ex obliuione fuere relicta. *Ita Sanchez ibid. à n.* 31. *vsque ad* 41. licet plures contrarium doceant.

5 Si quis absoluatur à reseruatis, habens intentionem lucrandi Iubileum, postea verò non perficiat alia opera, nec lucretur Indulgentiam ; non propterea redeunt peccata remissa, sed verè manet ab illis absolutus, sine obligatione repetendi confessionem pro reseruatis. *Sanchez ibid. n.* 42. &. c & quamuis Aliqui putent, peccare in eo casu pœnitentem, si absque causa non perficiat alia opera Iubilei, vt *Suar cit. ibi à Sanchez num.* 54. ipse tamen putat non peccare, si processerit bona fide initio, neque postea adsit contemptus. Ita etiam *Bonacina tom. 1. de Sacramentis disp. 5. quæst. 7. §. 5. num.* 26. *&c.* Plura de Iubileis, præter Auctores *cit. habet Sanctarellus tract de Iubileis, Petrus Prost. in Spicilegio Theologico*, & Alij apud ipsos.

DE INDVLGENTIIS.

1 NOn incongruè etiam adnectitur huic materiæ de Pœnitentia, tractatus de Indulgentijs : nam hæ etiam pertinent ad remissionem peccatorum

torum, ad quam ordinatur hoc Sacramentum. Multa autem de ijs dici possent, præsertim contra hæreticos, quæ pertinent ad conditionem illarum, & auctoritatem dantis, & modum, & similia, quæ magis speculatiua sunt, quàm practica. Ego quod ad rem meam facit, præcipua quædam colligam, quæ magis ad vsum, & praxim Indulgentiarum cõueniunt. Plura de his habent *Suar. tom. 4. in 3. p. à disp. 49 Filliuc. tom. 1. tract. 8. à cap. 3. Bonac. de Sacrum. disp. 6. Valent. tom. 3. disp. 7 q. 20. Tolet. l. 6. à cap. 21.* & Alij complures apud ipsos.

2 Est ergo Indulgentia, prout hoc loco accipitur, Remissio, seu Condonatio pœnæ temporalis debitæ peccatis, ex Thesauro Ecclesiæ, extra Sacramẽtum. Pro qua re sciendum est, quòd qui peccat duo mala incurrit, malum, seu reatum culpæ, & malum, seu reatum pœnæ: verbi gratia, in peccato mortali malum culpæ consistit in priuatione gratiæ sanctificantis, vel etiam simul in aliqua deordinatione, & auersione à Summo Bono, vt relicta à peccato actuali præterito, quod propterea dicitur moraliter

permanere in anima : malum verò pœnæ consistit in priuatione alicuius boni, vel inflictione alicuius mali sine peccato, quod Deus vel per se, vel per alios secundùm iustitiam infert peccatori in punitionem peccati : qui enim delinquit dignus est pœna, v.g. peccato mortali debetur primò pœna priuationis Beatitudinis, seu Visionis Beatæ; quæ est pœna damni: deinde omnes illæ afflictiones, tormenta, & pœnalitates, quas damnati patiuntur in inferno, & dicitur pœna sensus. Et quidem culpa in hoc peccato remittitur per Sacramenta, aut per Contritionem, & Charitatem, cum voto Sacramenti, & similiter pœna damni. Æternitas verò pœnæ sensus transit in pœnam temporalem, vel in hac vita, vel in Purgatorio; & respectu huius pœnæ temporalis est per se, & primariò Indulgentia, de qua loquimur.

5 Similiter in peccato veniali est sua culpa, & deformitas, & deordinatio leuis sine gratiæ priuatione, aut auersione à Deo; & est etiã pœna temporalis debita huic deordinationi, siue in hac vita, siue in

in Purgatorio ; & pro hac etiam pœna temporali delenda valent Indulgentiæ. Quòd autem hæc omnia vera sint, & sit etiam in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias, residens maximè in Summo Pontifice; Catholica Fides docet ex Traditione Apostolica, & indubitanter credendum est. Lege *Trident. Sess. 25. in Decreto de Indulgentijs.*

4 Demum quia pœna mortali peccato debita numquam remittitur, nisi remissa culpa mortali; nam dum homo est Dei inimicus, & carens gratia nõ est dignus tali remissione apud Deũ; & quia etiã peccatum veniale, neq; quoad culpã, neq; quoad pœnã remittitur, nisi remisso mortali; propter eandem causſam, hinc fit, vt ille, qui lucrari debet sibi Indulgentiam, necesse sit, vt sit in Gratia saltem in illo momento, quo illam lucratur, vt etiam infra dicam.

5 His positis, statim apparet sensus definitionis positæ: Dicitur enim Indulgentia esse cõdonatio, seu remissio pœnæ temporalis, &c. nam culpa in mortali remittitur Sacramenta, vt dictum est; culpa verò in veniali remittitur per ali-

quem bonum motum ex gratia prouenientem contrarium tali veniali : pœna verò temporalis remittitur , & compensatur per opera bona facta in gratia, vt sunt Ieiunia , Vigiliæ , Pœnitentiæ, Eleemosyna , Orationes , & alia opera Pietatis in hac vita: seu per pœnas Purgatorij in alia : & pro his pœnis valent Indulgentiæ, de quibus loquimur.

6 Dicitur etiam in definitione , ex Thesauro Ecclesiæ : Pro quo sciendum est, quòd opera hominis iusti sunt meritoria, impetratoria, & satisfactoria pro pœnis secundùm aliquam proportionem, quam Deus scit. Et quidem, vt meritoria, valent pro ipso operante ad augmentum Gratiæ, & Gloriæ: vt verò impetratoria, & satisfactoria; non solũ valent pro ipso, sed possunt etiam applicari , & exhiberi Deo pro alijs proximis indigentibus : & sic vnus subire potest pœnam ex Charitate pro alio , ita Deo acceptante. Sic etiam opeta Christi Domini fuere nobis meritoria remissionis peccatorum , gratiæ, & gloriæ, & omnium bonorum, quantùm est ex se, & satisfactoria pro omnibus pœnis nobis debitis

bitis, in ordine ad Deum, & quidem cũ infinito exceſſu. Et ſimiliter opera Beatiſſimæ Virginis, & aliorum Iuſtorum, quibus ipſi non indiguerunt ad ſatisfactionem pro ſe ipſis; poſſunt applicari nobis: quæ opera, in quantum ſatisfactoria, manent in diuina acceptatione ad hunc ipſum vſum, vt applicari poſſint nobis pro pœnis nobis debitis: & ſic per quamdam metaphoram dicuntur Theſaurus Eccleſiæ. Ex hoc ergo Eccleſiæ Theſauro ſumuntur Indulgentiæ ad remiſſionem pœnarum nobis debitarum, iuxta quantitatem mox dicendam.

7 Demum dicitur, extra Sacramentum: nam etiam in aliquibus Sacramentum remittitur pœna temporalis ex vi Sacramenti, & ex opere operato: ſed hoc non venit nomine Indulgentiæ, vt de ea nunc loquimur. Sic ergo conſtat quid ſit Indulgentia.

8 Poteſt autem ea triplex eſſe. Perſonalis, Localis, & Realis. Perſonalis eſt, quando conceditur per ſe perſonæ facienti hoc, vel illud vbicunque reperiatur. v. g. ſi quis recitauerit Coronam, habeat talem Indulgentiam, &c. Localis,

quando cõceditur Personæ ratione loci, v.g. si quis orauerit in tali Ecclesia, si celebrauerit in tali Altari, &c. Realis est, quando cõceditur Personæ ratione alicuius rei mobilis, quam secũ habeat, v.g. ratione Imaginis, Crucifixi, Globuli benedicti, Icunculæ, Numismatis, &c. Item aliquando Indulgentia conceditur ad tempus, aliquando in perpetuum, iuxta voluntatem concedentis.

9 In Indulgentijs maximè aduertendæ sunt clausulæ, conditiones, & opera iniuncta, sub quibus conceduntur, vt omnia impleantur: nam si aliqua deesset, non obtineretur Indulgẽtia: & propterea dicuntur tantum valere, quantum sonant verba: quamuis possit dari in hoc paruitas materiæ. v.g. si quis ad lucrandum Indulgentiam deberet recitare Rosarium, & in recitando relinqueret vnâ Salutationem Angelicam; adhuc consequeretur Indulgentiam: quia, iuxta tacitam intentionem concedentis, hoc parum pro nihilo reputabitur: consultius tamen est in his rebus exactam diligentiam exhibere.

10 Non est necesse, vt qui lucraturus est

est Indulgentias, dum opera iniuncta facit, sit in gratia. v.g. ieiunando, visitando Ecclesias, dando eleemosynam, &c. sed sufficit, vt supra tetigi, quòd in vltimo instanti vltimi operis, quando consequi debet Indulgentiam, sit in gratia. Ratio verò est, quia talia opera requiruntur ad Indulgentiam, vt conditiones requisitæ, & pia opera quædã, non autem, vt opera satisfactoria: nã per Indulgentiam satisfactiones Christi applicantur pro nostris satisfactionibus: & sic sufficit, quod illa opera exhibeantur, vt requisita ad Indulgentiam consequẽdam; nisi aliquod opus tale esset, quod ex se exigeret statum hominis in gratia, qualis est Communio. Verum est tamen, quòd si fiant ab existente in gratia; facerent ad remissionem pœnæ, non solùm ratione Indulgentiæ, sed etiam ratione sui, & omnes conari deberent ita facere.

11 Indulgentia interdum est Totalis, & dicitur Plenaria, seu Plenior, seu Plenissima, quæ nunc pro eodem accipiuntur: & tunc valet pro tota pœna temporali debita peccatis præteritis.

Aliquãdo est Partialis, vt pro tertia parte peccatorum, v.g. pro tot annis, pro tot quadragenis, seu carenis, tot diebus, &c. & sæpe addi solebat, ex pœnitentijs iniũctis: & tunc valet secundùm positã limitationem. Pro quo sciendum est, quòd olim, secundùm Canones, pro quibusdã peccatis grauioribus imponebatur pœna annorum, quadragenorum, dierum, &c. ita vt teneretur pœnitens per vnũ, vel plures annos hoc, vel illud facere singulis diebus, vel hebdomadibus: aut vnam, vel plures quadragenas ieiuniorum, &c. Pro his ergo relaxandis, ponebantur illa verba, ex pœnitentijs iniunctis. Vbi etiam aduertè, quod illæ particulæ non erant restrictiuæ; sed ampliatiuæ: vt sensus esset, quod lucrarentur Indulgentiam etiam, ex pœnis iniunctis, & non solùm de non iniunctis.

12 Ex quo infertur valere nunc Indulgentias etiam pro pœnis iniũctis à Confessario secundùm quantitatem Indulgentiæ. Pro quo sciendum est, quòd hæ pœnitentiæ aliquando imponuntur à Confessarijs, non solùm vt satisfactoriæ, sed etiam vt medicinales. v.g. imponun-

tur

tur ieiunia non solùm vt pro illis satisfiat pro pœna temporali, sed etiam, quia Confessarius iudicat pœnitentem indigere ieiunijs in remedium pro peccatis vitandis, & sic de similibus: & hoc pacto dicuntur pœnitentiæ medicinales. Indulgentiæ ergo valẽt ad supplendas pœnitentias, vt satisfactoriæ sunt, non autem vt medicinales : quod autem hoc vel illo modo dentur ; remittitur arbitrio Confessarij: qui, quando pœnitens lucraturus est Indulgentias , potest remittere quantitatem pœnitentiæ propter Indulgentias, (quod etiam ipse pœnitens facere potest) deberet tamen semper aliquam pœnitentiam dare propter integritatem Sacramenti , cùm satisfactio sit pars Sacramenti.

13 Interdum in Indulgẽtijs sunt hæc, vel similia verba : si aliquis fecerit aut hoc, aut hoc, &c. & sit confessus, & contritus, talem Indulgentiam consequatur quoad culpam, & pœnam: quod intelligendum est, non quia Indulgentia per se præcisè valeat ad remissionem culpæ, vt dictum est, sed quia occasione Indulgentiæ, & per connexionem aliqua ratione

tione Contritionis, & Confessionis requisitæ ad Indulgentiam, acquiritur pariter remissio culpæ: & sic dicitur, quòd in tali Indulgentia habetur remissio culpæ, & pœnæ.

14 Similiter illa verba, contritus, & confessus, quando simul ponuntur, sensum hunc habent, vt si homo habeat mortalia, etiam si putet se esse contritũ, & in gratia, faciat tamen confessionem Sacramentalem, potest enim esse, vt Pontifex concedens Indulgentiam, exigat Confessionem, non solùm ad habẽdam gratiam sanctificãtem, & remissionem peccatorum, quæ potest haberi per contritionem cum voto Sacramenti; sed etiam vt conditionem per se requisitam ad lucrandam Indulgentiam: & sic requiritur Cõfessio, quamuis homo per contritionem existimaret se esse in gratia. Quòd si ex verbis Indulgentiæ colligi posset confessionem requiri propter statum gratiæ; si homo sit in gratia, probabile est lucrari Indulgentiam, non præmissa confessione, sicuti si non haberet nisi venialia: sed tutius est in his casibus præmittere confessionem.

15 Non

15 Non possumus propria auctoritate facere opera iniuncta ad lucrandas Indulgentias pro alijs, nisi id expressè ponatur in tenore Indulgentiæ: quia ipsæ tantùm valent, quantùm sonãt. Sæpè autem ponitur, vt lucrari possimus Indulgentias pro Defunctis, applicando illas Animabus Purgatorij per modum suffragij. Dicitur autem per modum suffragij, quia cùm Animæ Purgatorij non sint Summo Pontifici subiectæ; non potest illas liberare à pœnis per modum absolutionis, tanquam auctoritatem habens in illas, sed per modum cuiusdam auxilij, seu suffragij, offerendo satisfactiones Deo in auxilium illarum, vt Deus illis remittat pœnas, & sic capaces sunt Indulgentiæ per modum suffragij: qui verò illas lucratur pro defunctis, non est necesse, vt opera iniuncta faciat existens in gratia, vt ex dictis num. 10. colligi potest.

16 Demum si quis faciat opera iniuncta ad Indulgentiam consequendam, & alioqui sit illius capax; etiam si nihil actu cogitet de Indulgẽtia, probabile

bile est illum lucrari: quia vel talis intentio actualis illam lucrandi non est necessaria, cùm non ponatur in tenore Indulgentiæ; vel si est necessaria, satis est implicita: dum enim benè homo operatur; implicitè intendit sibi prodesse per sua bona opera, quantum potest: & sic lucratur Indulgentias, quas lucraretur, si explicitè illas intenderet: nisi fortè in aliquo tenore Indulgentiæ, requireretur explicita intentio illam lucrandi, saltem virtualis. Atque hæc de Indulgentijs.

DE SACRAMENTO Extremæ Vnctionis.

Definitio, Materia, & Forma.

1 QVintum Sacramentum est Extrema vnctio, quæ ita fere definiri potest. Est Sacramentum, in quo Sacerdos vngit oleo cõsecrato certas partes corporis infirmi probabiliter periclitantis sub quadam determinata forma verborum. Fuit institutum à Christo Domi-

Domino, & per Diuum Iacobum in sua epistola publicatum, & distinctum à ceteris: & est vnũ numero respectu vnius ægroti ad vnum finem: quamuis habeat plures veluti partiales vnctiones, & formas: & non imprimit Characterem.

2. Materia remota ipsius est oleum oliuarum consecratum, seu benedictum ab Episcopo: & ex præcepto debet esse nouum illius anni; proxima verò materia est vnctio talis olei per Sacerdotem: & ex consuetudine per modum Crucis: licet id non sit de necessitate Sacramenti: nec etiam inuocatio Sanctissimæ Trinitatis. Est tamen necessarium ex præcepto, vt saltem fit in quinque partibus corporis, propter quinque sensus, hoc ordine: nempe in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus. Aliæ autem duæ vnctiones, scilicet in renibus, & pedibus, quæ decentiùs in fœminis omittuntur; non sunt de necessitate, nec apud omnes: quare quoad has seruari debet praxis cuiusque Ecclesiæ. In fœminis alicubi pro renibus fit in pectore: & quãuis ex cõsuetudine Ecclesiæ duplex vnctio fiat in quolibet sensu habente duo orga-

organa (sub vnica forma) tamen id non est de necessitate Sacramenti: & si vrgeret periculum, sufficeret vna in vno sensu: & si infirmus careret illa parte, in qua recipi debet vnctio; vngatur in parte viciniore.

3 Forma huius Sacramenti continetur illis verbis à Sacerdote prolatis, nempe, Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti, Amen: quod dicitur dum vnguntur oculi: & semper repetitur eadem forma in alijs vnctionibus, mutato nomine sensus: nempe quidquid per auditum in auribus: quidquid per odoratum in naribus: in pedibus quidquid per incessum, in renibus quidquid per lumborum delectationem (aliqui dicunt per ardorem libidinis.) Vndè patet hanc formam esse deprecatoriam. Quòd si in his fiat aliqua variatiatio, quæ non destruat sensum; nihil refert: vt si loco illius particulæ, indulgeat, dicatur parcat, vel remittat: & loco illius particulæ deliquisti, dicatur peccasti. Item si relinquatur particula, Amen. Sed in his

his aduertat Sacerdos, vt sequatur vsum suæ Ecclesiæ, & maximè Rituale Romanum.

4 In casu grauis necessitatis potest validè, & licitè Sacerdos, semel tantùm prolatis verbis formæ, & vnica vnctione adhibita in singulis illis quinque partibus, ita dicere: Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (& vngat oculos) per auditum (& vngat aures) per odoratum, (& vngat nares) per gustum, (& vngat os) per tactum, (& vngat manus) deliquisti.

5 Grauis controuersia est inter Doctores, quot nam vnctiones ex prædictis, & quænam formæ sint de essentia huius Sacramenti; ita vt, si aliqua desit, non perficiatur Sacramentum, nec vllum effectum habeat. Multi putant cum S. Thoma quinque illas priores esse de essentia; aliqui verò putant in singulis conferri suas gratias partiales, independenter ab alijs. Qua in re nihil habemus ab Ecclesia definitum: veritatem Deus scit. Quare debet Sacer-

dos

dos conari, vt omnes quinque illas vnctiones, saltem vltimo modo prædicto, perficiat. Quòd si contingat ægrotum mori ante quam perficiatur integrum Sacramentum; id, quod reliquum est, omittatur.

Subiectum.

6 SVbiectum capax huius Sacramenti est homo baptizatus, qui saltem aliquo tempore habuerit vsum rationis, & potuerit peccare (vt colligitur ex verbis formæ) & ita grauiter ægrotet, vt prudenter iudicetur esse in proximo periculo moriendi. Vnde non potest conferri infantibus ante vsum rationis, aut perpetuò amentibus, neque ijs, qui sunt quidem in periculo, aut fine vitæ, sed non ex ægritudine, sed aliunde: vt sunt damnati ad supplicia, mulieres parturientes, pugnantes in bello periculoso, aut se committentes certo vitæ discrimini ex quauis alia causa, & sic de similibus: nisi fortè cum his coniuncta sit ægritudo requisita: vt accidit his, qui ex vulnere moriuntur. Datur etiam senibus, quam-

quamuis non alio morbo, quam senectutis moriantur: nam senectus ipsa est morbus. Cuius rei non alia est causſa, nisi quia ita institutum fuit à Christo Domino, vt nobis constat ex Ecclesiæ traditione. Et quamuis possit hoc Sacramentum iterari; non tamen in eadem infirmitate, & periculo. Quòd si ægrotus conualuerit, & postea iterum incidat in tale periculum; potest reiterari: nec expectandum est, vt ægritudine amittatur vsus sensuum: hoc enim potiùs pertinet ad abusum, quam ad rectum vsum huius Sacramenti.

Minister.

7 HVius Sacramenti Minister est solus Sacerdos: & quidem ex officio Parochus, alij verò ex eius licentia, aut commissione: alioqui grauiter peccarent. Nec Religiosi possunt Laicis, aut alijs Clericis non Religiosis illud ministrare sine licentia Parochi: alioqui incidũt in excommunicationem. Quod intelligitur, seclusis aliquorum priuilegijs circa Laicos sibi seruientes, aut morientes in eorum ædibus.

8 Hoc

8 Hoc Sacramentum vni ægroto ab vno Sacerdote integrè ministrandũ est & non à pluribus, nisi in casu extremæ necessitatis: tunc enim vna Vnctio cum sua forma posset ab vno Sacerdote fieri, & alia cum sua forma ab alio eodem tempore. Qui casus esset necessarius in eorum sententia, qui putant quinque illas vnctiones esse de essentia Sacramenti, quas tamen non posset vnus perficere. Aliqui etiam probabiliter putant in casu necessitatis, quando Parochus non posset adesse, nec ab eo peti facultas; quòd quilibet Sacerdos possit licitè tale Sacramentum ministrare: quia in tali casu censetur tacita licentia Parochi, alioqui irrationabiliter esset inuitus.

Necessitas, & Effectus.

9 PEr se loquendo nullum est præceptum obligans ad receptionem huius Sacramenti. Quare, præciso scandalo, aut contemptu; potest relinqui sine mortali. Conandum tamen est, vt non omittatur propter effectus magnos

magnos huius Sacramenti eo tempore tam periculoso: etiamsi ægrotus deliret, nec illud petierit: dummodo iudicetur, quòd peteret, si posset, & quòd sit dispositus ad illud. Posset etiam videri necessarium quando per nullum aliud Sacramentum possit ægroto subueniri, & probabile sit ægrotum indigere ad salutem. Tenetur etiam Parochus, ex iustitia, illud petenti ministrare, saltem per alium: probabile tamen est ordinariè non teneri cum periculo vitæ; quia non est Sacramentum tantæ necessitatis. *Filliuc. tract. 3. c. 5. n. 100.*

10 Effectus huius Sacramenti, præter gratiam sanctificantem, sunt multa auxilia gratiæ, quæ Deus tribuit, intuitu ipsius, ad corroborandum animum infirmi contra Diabolicas tentationes, & vim morbi; & ad excitandum ad spem, & feruorem. Dicitur etiam tollere reliquias peccati, quæ fortè non sunt omnino deletæ, & ad superandam animi infirmitatem, & debilitatem ex peccatis relictam, & aliquas pœnas peccatorum. Interdum etiam cõfert primam gratiam, per accidens, atque

atque etiam aliquando sanitatem corporalem, ita Deo disponente.

Ritus.

11 CIrca ritum administrandi hoc Sacramentum, debet Parochus seruare ritum suæ Ecclesiæ : & quidem orationes illæ, quæ præcedunt, non debent relinqui sine necessitate: psalmi verò pœnitentiales non censentur esse sub præcepto. Non potest Parochus hoc Sacramentum administrare sine debitis vestibus ad id requisitis. Legi potest *Bonac. in fine tract. de hoc Sacramento.*

DE SACRAMENTO Ordinis.

Quod inseruiet ad instructionem pro Ordinandis.

1 CIrca Ordinis Sacramẽtum multa sunt, non solùm contra hæreticos nostri temporis , sed etiam inter Catholicos controuersa. Ego , iuxta meum

meum institutum, breuiter ea proponã, quæ necessaria magis videntur, secutus communiores nostri temporis sententias ex *Filliut tom. 1. tract. 9. Bonac disp. 3. quæst. de hoc Sacramen. Coninch de Sacramen. disp. 20. Vasquez tom. 3. in 3. part. à disp. 235 & Aliis.*

Definitio.

2 ORdo, prout in præsenti materia accipitur, sic describi potest: Est Sacramentum, in quo traditur aliquibus peculiaris potestas ad Sacrosanctũ Missæ Sacrificium, & Eucharistiam perficiendam: vel immediatè, vt solis Sacerdotibus, vel mediatè plus, vel minus, quibusdam alijs, vt infra constabit: & quidem omnibus ex officio, Quod autẽ Ordo sic definitus, saltem in aliquo ordine sit Sacramentum; est de Fide: & semper fuit in Ecclesia, etiam quoad omnes Ordines, secundùm communiorem sententiam: & confert Characterẽ, sicuti Baptismus, & Confirmatio: & non potest sine Sacrilegio iterari: quòd si quis illicitè iteraret; non esset ex hoc irregularis.

Numerus.

3 COmmunis doctrina est ex *Trident. sess. 23. cap. 2. & can. 2.* in Ordine contineri septem veluti gradus, qui dicuntur etiam septem Ordines: quibus, veluti per gradus, ascenditur ad vltimum, quod est Sacerdotium: nempe Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Accolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, seu Sacerdotium: à quibus denominantur Ostiarius, Lector, Exorcista, Accolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, seu Sacerdos: & quamuis omnes Ordines sacra aliqua res sint; tamen nunc primi quatuor dicuntur Minores, & non Sacri; vltimi tres Maiores, & Sacri. Cuius rei ratio est, quia per tres vltimos propiùs, & immediatiùs ordinantur homines ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficiendam: & peculiari modo irreuocabiliter, quantùm est ex parte ipsorum, dedicantur ad eumdem finem: & habent in Ecclesia Latina votum solemne castitatis annexum: & obligant ad diuinum Officium recitandum,

dum, quod non conuenit quatuor prioribus.

4. Prima Tonsura, quæ omnes Ordines præcedit, non est Ordo, sed quædam præparatio, & dispositio ad Ordines, & ad eos inroductio: nec est Sacramentum, nec habet aliquod proprium officium: licet sufficiat ad constituendum hominem Clericum, & priuilegijs Clerici fruentem. Similiter Episcopatus, secundùm communiorem sentẽtiam, non est totaliter nouus Ordo, sed quidam gradus Sacerdotij, & veluti extensio ipsius: est enim Episcopus Summus Sacerdos in sua Diœcesi: similiter Cantoratus, seu officium Cantoris non est Ordo, quia non confertur cum aliqua consecratione. Legite *Coninch loco cit. dub. 2. Filliuc. c. 1. n. 12. & 13.*

Officia.

5 SIngulorum Ordinum officia ex Pontificali Romano, & alijs ferè, & communiter enumerantur. Ostiarij munus, & officiũ est claues Templi conseruare, aperire, & claudere eius

ianuas, arcere eos, quibus non licet interesse Sacris, campanas pulsare, quæ intra Ecclesiam sunt custodire, ei, qui prædicat, librum aperire. Lectoris munus est legere in Ecclesia lectiones veteris & noui Testamenti, rudimenta Fidei Christianæ Catechumenos docere.

6. Exorcistæ munus est manus imponere super Energumenos, seu vexatos à spiritibus immundis ad illos adiurandos, & reijciendos, item ad exorcizandos Catechumenos. Solebat etiam olim facere, vt qui non communicarét darent locum communicantibus, & infundere aquam, siue in ministerium Baptismi, siue ad ablutionem post communionem communicantibus. Accolyti munus est præparare ampullas vini, & aquæ ad Sacrificium Missæ, & porrigere Subdiacono, ferre cereos ad idem Sacrificium, & illi ministrare: vnde dictus est Accolytus, quasi subsequens, seu pedissequus: dictus est etiam Ceroferarius.

7. Subdiaconi munus est immediatè subordinari Diacono ad Sacrificium Missæ, Calicem, & Patenam illi tradere, vrceolum cum aqua præbere, aquam ad lauan-

lauandas manus infundere: sed præcipuè eius munus est Epistolam ex officio, & solemniter in Missa legere. Diaconi munus est cantare solemniter Euangelium in Missa, ministrare immediatè Sacerdoti in omnibus, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, vestire Altaria, Crucem ferre, item ex commissione Sacerdotis prædicare, & baptizare.

8. Presbyteri munus est præcipuum offerre Sacrificium Missæ: vndè dicitur habere potestatem in Corpus Domini verum, Absoluere à peccatis, iuxta ea, quæ dicta sunt in Sacramento Pœnitentiæ: vndè dicitur habere potestatem in corpus Domini mysticum. Item aliqua alia Sacramenta ministrare, iuxta superiùs dicta: pascere populum doctrina, & exemplo; & aliquas benedictiones facere, vt Aquæ Benedictæ, & similes.

Quis Ordo sit Sacramentum.

9 SIcuti certum omnino est Ordinationem Sacerdotis, quæ etiam extendi potest ad Ordinationem Episcopi, esse verum Sacramentum; ita, saltem

communissima sententia est, Ordinationem Diaconi, & Subdiaconi esse vera Sacramenta, & conuenire illis omnia, quæ ad essentiam Sacramenti ex supradictis requiruntur. Item multò probabilior sententia est, & cõmunior quatuor etiam minores Ordines esse Sacramenta: id est in illis ceremonijs, quibus conferuntur tales ordines inueniri essentiã, & conditiones Sacramenti. Plura de hac re Theologi, *S. Th. Bellarm. Valent. Vasq. & Alij citati à Coninch disp. 20. dub. 6.*

10. Quamuis hæc omnia Sacramenta sint reipsa plura; tamen pertinent, & constituunt vnum Sacramentum Ordinis, per quandam aggregationem, & ordinationem ad vnum finem proximum Sanctissimæ Eucharistiæ, & Sacrificij Missæ: sicuti multi digiti constituunt vnam manum, & multa membra vnum corpus: non tamen possunt omnia septé Sacramenta dici vnum Sacramentum eodem modo: quia non habent omnia vnum proximum, & veluti indiuisibilem finem, sed varios, vt constat ex dictis.

Mat-

Materia, & Forma.

11 COnsequenter omnibus his Sacramentis assignari debet materia, & forma, iuxta ea, quæ vniuersaliter de Sacramentis supra dicta sunt: & quamuis in hac re multæ fuerint, & diuersæ opiniones; sequar tamen in earum assignatione communiorem nostri temporis sententiam. Et quidem in vniuersali, materia proxima cuiusque Ordinationis, vt Sacramentum est, consistit in traditione, & acceptatione alicuius rei, quæ ordinando traditur ab Episcopo: ipsa verò res dicitur materia remota: forma autem in illis verbis, quæ in tali traditione ab Episcopo dicuntur. Debent autem hæc materia, & forma moraliter esse aliquo modo simul, iuxta ea, quæ supra de hac re dicta sunt.

12. Itaq; materia Ostiariatus est traditio Clauium, & Cymbali: Lectoratus traditio libri Lectionum, & Prophetiarum: Exorcistatus traditio libelli Exorcismorum, & Adiurationum: Accolytatus traditio Candelabri cum candela

extincta: & traditio Vrceoli vacui, quæ sunt veluti duæ materiæ partiales in hoc Ordine. Formæ sunt, vt dixi, verba, quæ ab Episcopo proferuntur in talium rerum traditione.

13. Subdiaconatus verò materia est traditio Calicis vacui cum Patena vacua, & traditio libri Epistolarum, tanquam duæ partiales materiæ, vt dixi de Accolytatu, Diaconatus materia est traditio libri Euangeliorum, nempe Missalis cum impositione manuum. Sacerdotij demum materia est porrectio Calicis cum vino, & Patenæ cum ostia, & præterea impositio manuum, quando ab Episcopo traditur potestas in corpus Domini mysticum, scilicet ad absoluendum à peccatis: & hæ habentur tamquã duæ materiæ partiales, vt dixi de Accolyto, & Subdiacono. Formæ verò sunt verba, quæ in talium rerum traditione, & manuum impositione dicuntur ab Episcopo: scilicet, Accipe potestatem, &c. quæ ex Pontificali distinctè ponit *Filliuc. loco cit. cap. 2. n. 51.* Demum in consecratione Episcopi ij, qui putant esse Sacramentum, assignant pro materia, im-

positio-

positionem manuum trium Episcoporum, & proforma verba illa, quæ ab illis proferuntur: scilicet, Accipe Spiritum Sanctum, &c. Aliqui addunt alias materias partiales, non essentiales. Legite *Filliuc. ibid. n.* 40.

14. Vbi aduertendum est quod in ijs Sacramentis, in quibus sunt duæ veluti partiales materiæ, & formæ; si casu aliquo vna ex illis omittatur, debet suppleri in alia Ordinatione, non reiterata ea parte, quæ fuit integra: v. g. si in Sacerdotio fuerit collata prima potestas, quæ dicitur Ordinis, & non secunda, quæ dicitur Iurisdictionis in communi; debet suppleri secunda, prima manente integra, quæ non dependeat à secunda: at verò cùm secunda dependeat, & supponat primam; si fuisset collata secunda, & non prima, inualidè fuisset collata: & sic vtraque debet conferri.

15. Sacerdotio ordinãdus debet physicè tangere Patenam, & Calicem, aut saltem Patenam Calici superpositam, licet non Ostiam: & omnes ordinandi debent conari, non solùm vt ostendant se acceptare, quod traditur, quod esset moraliter

raliter tangere; sed etiam vt physicè, & reuera tangant: quod aliqui putant ad minimum esse necessarium necessitate præcepti, saltem ne se exponant periculo inualidæ Ordinationis: non tamen necesse est, vt contactus sit magnus, aut prolixior; sed sufficit leuior, & brevior.

Ætas, & Ordo recipiendi.

16 IN ordinandis, vt licitè ordinentur, requiritur determinata ætas: & quidem post *Trident. sess.* 23. *ca.* 12. de reformatione: Ad Subdiaconatum requiritur annus 22. inchoatus: ad Diaconatum 23. inchoatus. Ad Sacerdotiũ 25. inchoatus: Pro prima Tonsura septemnium completum: Pro tribus primis minoribus Ordinibus relinquitur arbitrio Episcopi, dummodò ordinãdus perfectum vsum rationis habeat, & scientiam singulis Ordinibus necessariam: Pro Accolyratu verò duodecimus annus completus. Si verò aliquis scienter ante debitam ætatem ordinaretur absque dispensatione; licet valeret Ordinatio,

tio, grauiter tamen peccaret: & si esset puer ante vsum rationis; grauiter peccaret ordinans, & qui ad talem ordinationem concurrerent.

17. Ex necessitate præcepti, Ordines suscipiendi sunt eodem ordine, quo supra fuere enumerati: & quamuis valida esset receptio Ordinis Superioris. v. g. Diaconatus, relicto Subdiaconatu, seu ante Subdiaconatum, & sic de ceteris; hic tamen, qui dicitur per saltum ordinatus, maneret suspensus à sui Ordinis executione, & ad vlterioris receptionē: potest tamen Episcopus cum tali dispēsare, vt Ordinem relictum recipiat, & ad vlteriora progrediatur: nisi ante talē dispensationem solemniter ministrasset in Ordine per saltum suscepto: tunc enim requiritur dispensatio Summi Pontificis. *Trident. sess. 23. cap. 14. de reformatione.*

Scientia, & Mores.

18 REquiritur etiam certa scientia in Ordinandis: & quidem ex *Trident. sess. 23. citata, de reformatione cap. 4.*

Ad primam Tonsuram requiritur vt sciant legere, & scribere (saltem vulgari lingua secundùm aliquos) & Fidei rudimenta sint edocti. Ad minores Ordines *cap.* 11. requiritur, vt saltem latinam linguam intelligant. Pro Subdiaconis verò, & Diaconis *cap.* 13. requiritur vt præterea in ijs, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, sint instructi. Pro Presbyteris verò *cap.* 14. requiritur præterea. vt ad populum docendum, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.

19. Item ex ijsdem locis Concilij requiruntur in Ordinandis quædam alia: vt quòd probabilis coniectura sit, ordinandos hoc vitæ genus inire, non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent. Vndè si quis minoribus Ordinibus initiaretur animo non seruiendi Ecclesiæ in illis, sed certo tempore renuntiandi, peccaret grauiter, cùm agatur in materia graui. Item ad minores Ordines requiritur, vt bonum à Parocho, & Magistro scholæ testimonium

nium habeant, Pro Ordinibus verò maioribus monet Episcopos Concilium non quoslibet in debita ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi ; sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit. Ad quod requirit, vt habeant bonum testimonium, & qui sperent Deo auctore se continere posse, id est castitatem illæsam seruare: quod maximè ad Sacerdotes pertinet : pro quibus additur, vt ita pietate, ac castis moribus conspicui sint ; vt præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab ijs expectari possint. Demum requiritur vt ordinandus existimet se esse in gratia, vt dignè recipiat Sacramentũ. Quòd si habeat conscientiam peccati mortalis; vel conteratur, vel etiam confiteatur, si debet communicare.

Subiectum.

20 REquiritur in Ordinando sexus, & habilitas: nempe, vt sit vir, nõ fœmina, nec hermaphroditus, id est vtriusque sexus : vt sit baptizatus, nam in ijs susceptio Ordinis esset inualida: Item

nec perpetuò amens, & omnino natura inhabilis ad Ordines ministrandos: præterea vt non sit suspensus ab vlteriorís Ordinis receptione, non interdictus, nõ excommunicatus, non irregularis, iuxta ea quæ de his rebus dicentur infra suis locis. An autem, si quis ordinetur sacris Ordinibus infans, aut ante annos pubertatis, aut ex metu graui, aut ignorans obligationem suam, teneatur ad continentiam, & ad statum Clericalem, cum postea id resciuerit; Legite *Coninch disp. 20. dub. 14.*

Minister.

21 MInister Ordinarius, qui conferre possit hoc Sacramentum, est solus Episcopus consecratus: qui, etiam si esset hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus, vel degradatus, quamuis illicitè, validè tamen conferret, quantùm ex hoc capite: quia Ordinum collatio, est actus Ordinis, non Iurisdictionis. Ordo autem est indelebilis, & semper manet in illis. Minores Ordines ex priuilegio, & commissione

missione possunt Sacerdotes non Episcopi conferre, vt Cardinales, & multi Abbates. Vtrum autem possint Subdiaconatum, & Diaconatum ex commissione Summi Pontificis; legite *Coninch loco citato, dub.* 9.

22. Episcopus non potest licitè ordinare, nisi sibi subditos: alienos autem cum dimissorijs à proprio Ordinario: alioqui maneret suspensus per annum ab Ordinum collatione, ex *Trident. sess.* 23. *cap.* 8 de reformatione. Potest tamen aliquis esse subditus alicui Episcopo ex triplici capite. 1. ratione originis, quia in eius diœcesi natus sit non casu, & per accidens. 2. ratione domicilij, quia ibi animo perpetuò manendi habitat, ad quod sufficiunt decem anni. 3. ratione beneficij, quod in tali diœcesi obtinet. Et à quolibet ex his tribus Episcopis potest petere Dimissorias. Legite *Filliuc. tract.* 10. *cap.* 4. *num.* 101. Sede vacante potest Capitulum dare Dimissorias, sed post annum à morte Episcopi. *Trident. sess.* 7. *cap.* 10. Dimissoriæ concessæ ab Episcopo non expirant morte ipsius.

23. Cum

23. Cùm hoc Sacramentum sit necessarium toti Ecclesiæ communitati, vt habeat ministros idoneo ad sui conseruationem, & propagationem, tenentur Episcopi aliquibus temporibus conferre Ordines aut curare vt suis subditis conferantur, ne desit talium ministrorum necessarius numerus. Vt autem rectè in tradendis Ordinibus suo munere fungantur; hæc præstare debent. Primo examen ordinandorum, vel per se, vel per suos ministros idoneos: & quidem erga omnes, etiam Religiosos, si non sint in hoc priuilegiati post Tridentinum. Excipi possunt notoriè digni. Hoc examen non solùm debet esse in scientia, & doctrina requisita; sed etiam in vita, & moribus, & natalibus, & alijs impedimentis.

24. Secundò requiritur in ordinando titulus, qui esse potest triplex. 1. Patrimonij iuxta quantitatem requisitam in singulis prouincijs. 2. beneficij sufficientis. 3. paupertatis pro Religiosis.

25. Tertiò vt non ordinet per saltũ nec suos non subditos; vt debitis interstitijs, & temporibus. Et quidem Ordi-

nes

nes minores possunt vni conferri eodē die, si Episcopus dispenset: maiores nō nisi post annum ab vltimo minore, iuxta *Trident. sess* 23 *cap.* 11. ad quod etiam potest Episcopus dispensare, vt ibi habetur. Duo maiores Ordines eodem die conferri non possunt, nisi de licentia Papæ. An autem possit aliquis Ordo minor, vel omnes minores conferri eodem die cum Subdiaconatu; standum est consuetudini regionum.

26. In Ordinibus sacris tradendis seruanda sunt tempora præscripta; nempe quatuor Sabbata quatuor temporum, Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum Sanctum. Inter susceptionem vnius Ordinis sacri, & alterius; debet annus intercedere, nisi dispenset Episcopus. *Tridentinum sess.* 23. *cap.* 13. & 14.

27. Minores Ordines priuatim conferri possunt quolibet die Dominico, vel festo duplici manè: & ex consuetudine feria sexta vespere ante Sabbata prædicta: vel etiam, vt aliqui volunt, feria quarta quatuor temporum.

28. Item seruandus est locus: nā publicè

blice maiores Ordines conferri debent in Ecclesia Cathedrali, aut in alia Eccle, sia inter. digniores Diœcesis. *Tridentinum sess. citata cap.* 8. Et præsentibus Canonicis, & Clero loci : priuatim verò etiam in aliquo domestico sacello. Prima Tonsura quouis anni tempore, die, ac loco conferri potest. Minores Ordines vbique conferri possunt, & eodem die simul cum prima Tonsura.

29. Episcopus tradens Ordines debet esse in gratia : quia confert Sacramenta. Non conferat Ordines nisi Confirmatis. Aduertat vt applicet materiã, & formam iuxta prædicta, & conformet se Pontificali Romano. Non dicat, se non habere intentionem ordinandi non habentes Patrimonium, aut irregulares, &c. quamuis de his inuestigare debuerit, & non admittere indignos, imo arcere sub commination excommunicationis. Habeat tamen intentionem ordinandi quotquot de facto ordinat, & ipse in genere dispenset, in quibus potest. *Filliuc. tract. 9. c. 5 num. 99.*

30. Potest etiam Episcopus præbere Ordines in aliena Diœcesi de licentia Episco-

Episcopi illius loci suis subditis, & subditis eiusdem Episcopi illius Diœcesis, & aliorum, si habeant Dimissorias à proprijs Episcopis: neque opus est, vt hos examinet, si sint à proprijs Episcopis examinati, & approbati.

DE SACRAMENTO Matrimonij.

Definitio, Materia, & Forma.

1 MAtrimonium est Contractus quidam, & Sacramentum. Vt Contractus sic describi solet. Est coniunctio maritalis legitima viri & fœminæ, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Si verò quæratur, quid sit Matrimonium, vt est Sacramentum inter Christianos; dici debet. Est Sacramentum, consistens in coniunctione maritali, &c. Ad Matrimoniũ requiritur necessariò mutuus consensus de præsenti, aliquo externo signo expressus, saltem per Procuratorem: & potest esse inter quascumque perso-

personas non legitimè impeditas, vt dicetur.

2. Ad videndum quæ sit materia, & forma huius Sacramenti, sciendum est, quòd in eo possunt considerari. 1. ipsæ personæ contrahentes, quæ mutuò sua corpora sibi inuicem tradunt: ad finem in hoc Sacramento intentum. 2. interni vniuscuiusque contrahentis consensus. 3. externa signa, tales consensus manifestantia, siue consistant in verbis, siue in alio signo. 4. præsentia Parochi, & verba illa ipsius, Ego vos coniungo, &c. Aliqui ergo putant materiam esse ipsos cõtrahentes, formam verò ipsam corporum traditionem, vel mutuos ipsos consensus. Alij materiam esse internos cõsensus, formam verò externa signa ipsorum. Alij materiam esse primum consensum vnius sponsi, formam secundum consensum alterius sponsi. Et demum Aliqui putant formam esse verba illa Sacerdotis: Ego vos coniungo, &c. Materiam verò esse aliquid ex prædictis. Et quidem excepta hac vltima sententia, quæ videtur improbabilis, (nã præsentia Parochi post Tridentinũ necessaria est,

cum

cum tamen antea fuerint vera Matrimonia, & Sacramenta sine tali præsentia, & talibus verbis) aliæ sententiæ probabiles sunt: nec res est magni momenti, præsertim quantum spectat ad rem nostram. Legite *Coninch disp.* 24. *dub.* 3. *Filliuc. tract.* 10. *c.* 1.

Minister.

3 HInc sequitur Ministros huius Sacramenti esse ipsos contrahẽtes: & cum hoc Sacramentum sit viuorum, id est existentiam in gratia; requirit, vt ipsi se existiment esse in gratia: quare, si habeant conscientiam peccati mortalis; debent vel conteri, vel confiteri, vt in alijs Sacramentis, ne grauiter peccent, saltem quatenus indignè suscipiunt hoc Sacramentum Imo *Trident. sess.* 24. *c.* 1. *de reform. Matrim.* hortatur coniuges, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant. Potest tamen Sacerdos dici etiam Minister in hoc Sacra-

Sacramento, quoad benedictionem nuptiarum consequentem, quam solus Parochus, vel alius Sacerdos, de eius, vel Ordinarij licentia dare potest ex *Trident. loco iam citato.* Multa de Parocho, & testibus requisitis habet *Bonac. de Matrim. quæst. 2. punct. 8. & Alij.*

Effectus.

4 EFfectus Matrimonij, vt est Sacramentum, præter gratiæ sanctificãtis augmentum, est etiam donum gratiæ ad perficiendum amorem coniugalem, & indissolubilem vnitatem inter coniuges: vt habet Concilium loco citato: sub quibus verbis continentur dona gratiæ ad reprimendam concupiscẽtiam, & ad fidelem cohabitationem coniugum, & rectam prolis educationem, & significatur indissolubilitas Matrimonij post legitimam ipsius consummationem. De quo *Filliuc tract. 10. ca. 2.* Dicitur Matrimonium ratum tantùm, quando celebratum est coram Parocho, & duobus testibus: (ex Tridentino loco citato,) si adhuc nõ intercessit carnalis

lis copula. Dicitur verò consummatum, post talem copulam in vase legitimo completam, saltem per viri seminationem.

5. Dixi initiò Matrimonium debere esse inter legitimas personas, seu non legitimè impeditas: quod maximè aduerti debet in hac materia, non solùm vt licitè, sed etiam vt validè Matrimonium contrahatur: sunt enim aliqua, quæ faciunt ipsum vel illicitum, vel etiam inualidum, de quibus iam dicam.

Impedimenta.

6 IMpedimenta ergo, cum quibus non potest contrahi Matrimonium, sunt duplicis generis: alia sunt impedientia tantùm, alia impedientia, & dirimentia. Prima sunt illa, cum quibus non potest licitè contrahi Matrimonium inter fideles: si tamen contrahatur; tenet, & est verùm Matrimonium. Secunda sunt illa, cum quibus non potest licitè, nec validè contrahi Matrimonium: ita vt, si contrahatur; committatur peccatum, & Matrimonium reipsa sit nullum.

Non

Non Dirimentia.

7 PRioris generis sunt quinque in genere, nempe Votum, Interdictum, Sponsalia, Catechismus, & Crimen. Primo ergo sunt omnia vota simplicia Castitatis, & Religionis (exceptis votis simplicibus Societatis Iesv) & idem esset, si quis voueret se non ducturum vxorem, aut susceperum ordines sacros, in eo casu, in quo tale votum teneret. Quare si quis cum voto Castitatis, aut Religionis duceret vxorem; peccaret, & consummando Matrimonium peccaret: quia adhuc potest implere suum votum ingrediendo Religionem per spatium duorum mensium post contractum Matrimonium. Item si vouit castitatem tantum, non potest petere debitum, licet possit reddere. Si tamen vouit Religionem, post consummatum Matrimonium; potest petere debitum. Mortua autem vxore semper remanet prædictum impedimentum in ordine ad aliam.

8. Secundum impedimentũ est Interdictum, seu prohibitio: si enim aliquis

sit

sit interdictus per Ecclesiam, ne tali tempore nubat; peccat, si nubat, sed tenet Matrimonium. Cùm verò in quibusdam anni temporibus interdicuntur nuptiæ; intelligitur de solemnitate nuptiarum tantùm. Item ad hoc impedimentum reduci potest illud solemnis pœnitentiæ: nam, durante tali tempore, prohibentur pœnitenti nuptiæ: sed nunc tales pœnitentiæ non sunt in vsu.

9 Tertium impedimentum est Sponsalia. Si quis enim contraxit sponsalia cum aliqua; ante quàm soluantur talia sponsalia, non potest contrahere cum alia: etiamsi hæc secunda non sit consanguinea suæ primæ sponsæ: nam si esset consanguinea, posset esse impedimentum dirimens, vt infra dicemus.

10 Quartum impedimentum est Catechismus: nam qui est susceptor in Catechismo tantùm, & non in Baptismo, aut Confirmatione; contrahit eandem cognationem imperfectè, quæ contrahitur in illis Sacramentis: sed non est impedimentum dirimens, vt in illis, vt dicetur infra. Aliqui putant hoc impedimentum fuisse sublatum per Tridentinum.

tinum. Dicitur autem, Suſceptor in Catechiſmo tantùm, is, qui tenet baptizandum, & reſpondet in illis ceremonijs, quæ antecedunt Baptiſmum tantum, quæ ſignificantur nomine Catechiſmi.

11 Vltimum impedimentum eſt Crimen, quod eſt multiplex: quo crimine poſito, non poteſt homo ducere vxorem vllam, etiam mortua ſua vxore, ſi illam habeat: Primum Crimen eſt incæſtus cum conſanguinea ſuę coniugis, vel etiam ſua, vt aliqui volunt, vſque ad quartum gradum: licet aliqui velint vſque ad ſecundum tantùm poſt Tridentinum. Secundum eſt iniuſtum vxoricidium. Tertium eſt raptus alienæ ſponſæ, vel vxoris. Quartum eſt cùm quis eſt ſuſceptor proprij filij in Baptiſmo, vel confirmatione malo animo, vt contrahat cognationem cum vxore ſua. Quintum eſt Sacerdotis occiſio declarata per Iudices. Vltimum eſt, ſi quis monialem acceperit in vxorem. Ad hæc impedimenta criminum poteſt Epiſcopus diſpenſare, & aliqui putant non obligare ſub mortali, imo fuiſſe per conſuetudinem abrogata, quod eſt probabile.

Di-

Dirimentia.

12 SEcundi generis impedimenta iure antiquo sunt duodecim, contenta ijs versibus.

Error, conditio, votum, cognatio crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

quibus Iure nouo per Tridentinum addita sunt alia duo: nempe raptus, & absentia Parochi & duorum testium; de quibus breuiter.

Error.

13 ERror, quod est primum impedimentum, potest esse duplex: in substantia, & qualitate personarum: primus dirimit, non secundus: verbi gratia, si quis existimet, se ducere in vxorem talem determinatam personam, sed errore ducit aliam; non tenet Matrimonium. Si verò error esset in qualitate, quia putabat esse virginem, pulchram, diuitem, nobilem, sanam, &c. licet decipiatur, tenet Matrimonium:

tametsi in aliquo casu possit hic error esse caussa diuortij.

Conditio.

14 IMpedimentum conditionis est, Seruitutis : cùm scilicet aliquis putabat talem liberam, & erat serua: aut esse liberum, & erat seruus ; non tenet Matrimonium : si tamen putabat esse seruam, & erat libera; valet: quia non est deterioris conditionis, quàm putaretur.

Votum.

15 IMpedimentum voti est voti solemnis, siue in Religione approbata, siue in sacris ordinibus, aut etiam vota simplicia Studentium Societatis Iesu, quæ dirimunt matrimonium, sicuti vota solemnia Castitatis : & hoc impedimentum habet annexam excommunicationem.

Cognatio.

16 COgnatio triplex est: carnalis, seu naturalis, & dicitur consanguinitas: spiritualis: & legitima, seu legalis.

Pri-

Prima est coniunctio multorum ex vno capite secundùm Sanguinem descendẽtium, & hæc impedit vsque ad quartum gradum inclusiuè : licet in linea recta probabile sit impedire in infinitum, vel certè ad longam distantiam. Spiritualis contrahitur in Sacramento Baptismi, & Confirmationis. 1. inter ipsum baptizantem, & baptizatum. 2. inter susceptores baptizati (qui duo tantum esse possunt) cum ipso baptizato, & hæc dicitur paternitas. 3. inter hos ipsos, scilicet baptizantem & susceptores, cum matre, & patre baptizati : & hæc dicitur compaternitas : & inter hos tantùm post Tridentinum valet hoc impedimentum. Si quis verò suscipiat per Procuratorem; non contrahit cognationem, neque ipse Procurator, neque contrahitur à Susceptoribus, nisi in Baptismo solemni: nec in Confirmatione, nisi à Susceptore confirmato. Demum legalis cognatio est per adoptionem perfectam : cùm quis adoptat aliquem, vel aliquam in filium, vel nepotem, vel filiam, &c. quod impedimentum est. 1. inter ipsum adoptantem, & adoptatum. 2. inter ipsum

adoptantem, & filios adoptati, vsque ad quartum gradum, 3. inter ipsum adoptatum, & omnes filios adoptantis, saltem legitimos simul, & naturales, dũ sunt sub patria potestate. 4. inter adoptatum, & vxorem adoptantis. 5. inter adoptantem, & vxorem adoptati.

17 Ad dignoscendos gradus consanguinitatis hæ regulæ tradi solent, secundùm ius canonicũ, quod seruatur in materia Matrimonij. Prima pro linea recta tam descendentium, quàm ascendentiũ, quot personæ sunt in linea, vna dempta, tot sunt gradus. Sic pater, & filius sunt in primo gradu: auus & nepos in secũdo: & sic de cæteris: in quo nulla est difficultas.

18 Secũda regula pro linea collaterali in distãtia æquali, quãdo scilicet vtraque persona distat æqualiter à cõmuni proximo stipite, quoto gradu distant à cõmuni stipite, eodem distant inter se. Sic duo fratres sunt in primo gradu. Duo consobrini primi sunt in secundo, &c. Tertia pro linea collaterali in distantia inæquali, eo gradu distant personæ inter se, quoto gradu remotior persona distat à cõmuni stipite. Sic filius fratris distat

à pa-

à patruo, seu à fratre sui patris in secundo gradu. Semper enim habetur ratio maioris distantiæ, vt constat in sequẽtibus tabellis pertinentibus ad secundam, & tertiam regulam. Eadem autem ratio est de maribus, & fœminis, licet exempla ponantur in maribus.

PRO SECVNDA Regula.



PRO TERTIA Regula.



Quæ

19 Quæ verò sit differentia in computandis his gradibus inter ius ciuile, & canonicum, & alia huc pertinentia; legi potest *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 51. Filliuc. tom. 1. tract. 10. cap. 5.* Præterea aduertendum est, quòd in petendis dispẽsationibus, non satis est dicere duos esse coniunctos in secundo, vel tertio gradu consanguinitatis: nec item sufficere, si dicatur in secundo gradu inæquali, vel tertio inæquali; sed necesse esse exprimere determinatè inæqualitatem: an scilicet sit patrui cũ nepte, an pronepte: & similiter an sit amitæ cum nepote, filio fratris, an cum pronepote, &c. Alioqui dispensatio erit subreptitia: quam inæqualitatem solent communiter exprimere his vocabulis, v. g. primus in secundo, primus in tertio, &c. item secũdus in tertio, tertius in quarto, &c. vel certè ponere distinctè ipsam arborẽ cõsanguinitatis, vt facilè constet gradus & eius inæqualitas. A persona autem remotiori à communi stipite sumitur gradus remotior: à propinquiori autem, cum qua debet iniri Matrimonium, sumitur gradus propinquior, facta com-

putatione ab eodem communi stipite, vt colligi potest ex superiori tabella.

Crimen.

20 IMpedimentum Criminis est quadruplex. Primum est, cùm adulter promittit adulteræ, se eam ducturum in vxorem, mortuo eius viro: si talis promissio acceptetur, siue ante, siue post adulterium commissum ante mortem sui viri. Secundus casus est, cùm vir, & fœmina conueniunt ad occidendum coniugem hoc animo, vt inter se contrahant, & de facto occidunt, etiam nullo præmisso adulterio. Tertius casus est cùm vnus coniugum occidit alterum, animo contrahendi Matrimonium, etiam altero nesciente: dummodo intercedat adulterium cognitum ab ipsis adulteris. Vltimus casus est, cùm aliquis, post Matrimonium ratum cum aliqua, contrahit cum alia aliud Matrimonium, & consummat illud, sciente hac secunda vxore: tunc enim, etiam mortua prima vxore, non potest cum hac secunda contrahere. Quæ omnia vera sunt, si Matrimonia prima fue-

fuerint vera Matrimonia, & non solùm existimata.

Cultus Disparitas.

21 IMpedimentum disparitatis cultus est inter fidelem baptizatum, & infidelem, seu non baptizatum: non autem si infidelis sit solùm hæreticus, aut hæretica. Si tamen infidelitas contingat post contractum Matrimonium; non dissoluitur Matrimonium. Item si vxor, & vir infideles conuertantur ad Fidem; remanent in suo Matrimonio, si illud fuit contractum sine impedimento aliquo contra ius naturæ, licet fuerit contractum cum aliquo impedimento iuris canonici tantùm: si verò alter coniugum conuertatur ad Fidem, altero remanente in sua infidelitate; si hic secundus consentit habitare cum primo, sine iniuria Creatoris, remanet Matrimonium; sin minus, dissoluitur, & coniux fidelis potest iterum nubere cum fideli: & hoc ordinariè contingit, si vxor infidelis non vult conuerti ad Fidem.

Vis.

22 IMpedimentum Vis, seu coactionis, est, cùm alter coniugum per violentiam, aut per metum cadentem in constantem virum cõtraxit: etiamsi interiùs habuerit consensum: si tamen postea consensit copulæ carnali affectu maritali; valet Matrimonium. Similiter si liberè consentiat Matrimonio, & cesset metus. Vbi adnotandum est, quòd hic metus debet esse iniustè incussus, & ad finem cõtrahendi Matrimoniũ. Vnde valet Matrimoniũ, si aliquis damnatus ad mortem, vel ad triremes, vt vitet hæc mala, ducit aliquam in vxorem, quia Princeps non vult aliter illum liberare.

Ordo.

23 IMpedimentum Ordinis est post Ordines sacros susceptos, etiam solum Subdiaconatum: talis enim non potest, nec licitè, nec validè contrahere: & si contrahat, est excommunicatus: si verò vxoratus suscipiat Ordines sacros; verè est ordinatus: quia ille status non impedit validã Ordinum susceptionem:

licet

licet peccet, si id faciat non secundùm Sacros Canones.

Ligamen.

24 IMpedimentum Ligaminis cõsurgit ex Matrimonio rato, etiam non consummato: si enim aliquis post Matrimonium ratum cum vna adhuc viuente, contrahat cum alia, non tenet hoc secundum Matrimonium: & multo minus teneret, si primum Matrimonium fuisset etiam consummatum.

25 Si quis probabiliter, & prudenter existimaret vxorem suam esse mortuã: illa tamen viuente, cõtraheret cum alia; non teneret Matrimonium, licet propter bonam fidem posset petere, & reddere debitum. Quod si postea sciat vxorem suam viuere; debet omnino abstinere: si verò solùm prudenter dubitet; potest reddere, sed non petere: & si superueniat vxor; debet illam accipere, relicta secunda.

26 Si quis putans vxorem suam viuere, contraheret cum alia, decipiendo illam, etiam si reuera vxor ipsius tunc esset mortua; non valet Matrimonium:

quia eius consensus est maritalis, sed fornicarius: postquam verò resciuerit, verè esse mortuam; potest consensu maritali accedere ad secundam, & perficitur Matrimonium.

Honestas.

27 IMpedimentum publicæ honestatis consurgit. Primò ex sponsalibus, dummodo sponsalia sint valida. Secundò ex Matrimonio rato, & non consummato: nã in primo casu sponsus, siue adhuc viuente, siue mortua sponsa; non potest contrahere cum consanguinea sponsæ in primo gradu tantùm: neque sponsa cum consanguineo sponsi, item in primo gradu. In secundò verò casu nõ potest ducere consanguineas suæ sponsæ vsque ad quartum gradum inclusiuè, etiam mortua sua sponsa & idem dicendum est de sponsa respectu sponsi.

Affinitas.

28 AFfinitas est cõiunctio plurium inter se, orta ex copula carnali, siue licita, siue illicita, dũmodo sit perfecta, & naturalis inter virũ, & fœminã, & ha-

& habet gradus, sicuti consanguinitas. Itaque vir per Matrimonium ratum, & consummatum contrahit affinitatem cum omnibus consanguineis suæ vxoris vsque ad quartum gradum, & nullam ex illis potest secundò ducere, mortua sua vxore, absque dispensatione: non autem contrahit affinitatem dirimentem, aut impedientem cum affinibus suæ vxoris: nam affinitas non parit affinitatem. Vndè mortua sua vxore, potest contrahere cum quacumque affine suæ vxoris, nisi sit aliud impedimentum; & similiter dicendum est, de vxore respectu sui viri; contrahit enim affinitatem, cum omnibus consanguineis sui viri, non tamen cum affinibus illorum.

29 Quando affinitas oritur ex copula illicita; non excedit hoc impedimentum secundum gradum affinitatis; itaq; qui habuit copulam illicitam cum aliqua; non potest ducere aliquam illius consanguineam, vsque ad secundū gradum, inclusiuè tantùm; cùm verò hoc impedimentum sequitur post contractum, & consummatum Matrimonium,

impe-

impedit solùm petitionem debiti respectu eius, qui peccauit.

30 Gradus affinitatis hac regula dignoscuntur; videlicet, in quoto gradu consanguinitatis est fœmina cum suis consanguineis; in eodem gradu affinitatis est eius maritus cum ijsdem consanguineis; v.g. Berta est in primo gradu consanguinitatis cum sua sorore, aut matre; in primo item gradu affinitatis erit eius maritus cum eadem sorore, & matre; & sic de ceteris. Similiter in quoto gradu consanguinitatis est vir cum suis consanguineis; in eodem gradu affinitatis erit eius vxor cum ijsdem consanguineis.

Impotentia.

31 IMpedimentum impotentiæ est, si persona contrahens antecedenter ad Matrimonium non sit apta ad generationem, non propter sterilitatem, sed ex carentia, & improportione instrumentorum necessariorum ad talem generationem; siue hæc carentia sit meré à natura, siue ab arte, siue à morbo; dummodò sit perpetua, & non possit per

artem

artem tolli, vel simpliciter, vel saltem sine periculo vitæ; quando autem est dubia; solet per leges expectari triennium ad talem impotentiam probandam. Vbi aduertendum est, quòd contingere potest interdum, vt impotentia sit respectù vnius, & non respectù alterius personæ; & tunc poterit esse Matrimonium cum illa, aut illo, in ordine ad quem non est impotentia, non tamen in ordine ad quem est impotentia.

Raptus.

32 HÆc impedimenta sunt de iure antiquo Concilium autem Tridentinum addidit alia duo. Primum est raptus; si enim aliquis rapit fœminam è domo sua, vel parentum, illis inuitis, vel etiam ipsa sola inuita (nisi esset publica meretrix) & si raptus fiat caussa Matrimonij ineundi; dum durat raptus, non potest illam ducere in vxorem, nisi illam constituat in loco libero; & tunc, si illa velit consentire, tenet Matrimonium; hic tamen raptor esset excommunicatus, & infamis, & tenetur dotare raptam, siue contrahat cum illa, siue non.

Te-

Testes.

33 ALterum impedimẽtum est Absentia Parochi, & duorum testium: non enim valet Matrimonium, nisi contrahatur coram Parocho, aut alio ex eius licentia, & duobus testibus. Potuit autem hoc facere Ecclesia, non quia possit mutare substantialia Sacramentorum, sed quia, cùm hoc Sacramentum consistat in quodam contractu politico, possit autem Ecclesia à suis subditis exigere aliquas conditiones ad valorem huius, vel illius contractus, alioqui futuri inualidi; sic voluit ad valorem huius cõtractus requiri præsentiam Parochi, & testium, quibus absentibus non perficitur hic contractus, & consequenter non tenet Matrimonium, in quantum Sacramentum: quod fundatur in vero, & valido contractu. Sicuti si posset Ecclesia facere, vt aqua maris, verbi gratia, non esset vera aqua; tunc non posset fieri Baptismus cum aqua maris.

Ali-

Aliqua notabilia circa Matrimonium.

34 POssent hic numerari alia veluti impedimenta, quæ tamen potius sunt defectus aliqui pertinentes ad valorem, vel inualiditatem contractus, & communes omnibus contractibus: v.g. si quis in contractu matrimoniali apponeret conditionem, se scilicet ductarum talem in vxorem, si virgo sit, aut dives, & sub tali conditione acceptata, fuerit perfectum Matrimonium, & talis conditio non fuerit reperta; Matrimonium esset irritum: non quia error in qualitate dirimat; sed quia nõ adimpleta conditione, contractus est nullus: & sic de ceteris. Sed huiusmodi conditiones non facilè permitti debent in hoc contractu, nisi fortè addatur aliqua conditio ad ciuilem obligationem aliquid faciendi stante substantia contractus. De qua re plura Auctores agentes de sponsalibus. De quibus infra.

35 Ad Matrimoniũ requiritur in fœmina ætas duodecim annorũ, & in viro quatuordecim completorũ, nisi malitia

tia suppleret ætatem, præsertim arbitrio Episcopi. Quòd si post contractum Matrimonium in tali ætate, dubitaretur de impotentia; expectanda est ætas in fœmina vsq; ad annum decimumquartum, & in viro vsque decimumoctauum completum.

36 Solemnitas nuptiarum, & benedictio, probabile est quod sit in præcepto; ita vt non possit omitti sine mortali. Aliqui tamen probabiliter putant esse veniale, dummodo non fiat ex contemptu.

37 Sponsalia differunt à Matrimonio; consistunt enim in promissione de futuro; cùm scilicet alter alteri promittit se ducturum illam in vxorem, & hæc illum in virum; neque sunt necessaria ad Matrimonium, licet soleant præcedere. Possunt ergo sic describi; Sponsalia sunt promissio mutua viri, & fœminæ futuri Matrimonij inter personas legitimas &c. Ad sponsalia requiritur, & sufficit perfectus vsus rationis; & possunt perfici, vel per absolutam promissionem, vel per conditionatam, & cum iuramento, & dono aliquo, vel absque his; item cum testi-

testibus, vel sine testibus. Et quamuis sponsalia clandestina sint valida; sunt tamen prohibita. Possunt etiam in multis casibus dissolui. De quibus plura *Sanchez de Matrim. lib.* 1. *Coninch disp.* 21. & 23. *Filliuc. tra.* 10. *par.* 1. *c.* 7. & *Alij.*

38 Si post contractum Matrimoniũ in facie Ecclesiæ, cum aliquo tamen impedimento dirimente ignoto contrahentibus, aliquis ex ipsis veniat in notitiam talis impedimenti; non potest petere, nec reddere debitum ante dispensationem. Quo in casu consulat doctum Confessarium de modo, quo se gerere debeat, qui conscius est impedimenti.

39 Si quis post contractum Matrimonium in facie Ecclesiæ, cum omnibus requisitis exterioribus, attamen cũ impedimento dirimente, obtineat postea dispensationem; si impedimentum fuit occultum, & dispensatio solùm in foro conscientiæ, non est necesse repetere præmissas illas ceremonias, sed sufficit nouus contrahentium consensus, signo externo expressus: si verò impedimentum publicum est, & dispensatio etiam publica pro foro externo; tunc debet

debet iterum celebrari Matrimonium coram Parocho, & testibus. Legit *Coninch disp. 24. dub 10.*

40 Si quis contraheret Matrimonium cum cum aliqua, quam putat esse suam consanguineã intra quartum gradũ, cùm tamen reuera non sit talis, sciés consanguinitatem esse impedimentum dirimens; tale Matrimonium nõ est validum: non propter impedimentum cõsanguinitatis, quod non erat; sed quia assensus viri nõ potuit esse assensus maritalis, sed omnino fornicarius, qui non sufficit. Quare, cognito errore, repetendus est consensus sufficiens. *Coninch loc. cit. dub. 6.*

41 Si Confessarius occasione confessionis cognoscat pœnitentem cõtraxisse cum impedimento dirimente, & bona fide; si prudenter putet, se nihil profecturum propter maximam rei difficultatem, si moneat pœnitẽtem de impedimento, debet nõ monere, sed illum in sua bona fide relinquere: quòd si speret profecturum; poterit monere. Si autem mala fide contraxit; debet omnino monere. Qua in re diligenter aduertat

Con-

Confessarius, quid sibi faciendum sit, studio adhibito.

42 Finis Matrimonij primarius est susceptio, & educatio prolis. Alij etiam fines sunt domestica societas, & communicatio inter virum, & vxorem: remedium contra concupiscentiam: & significatio coniunctionis Christi, & Ecclesiæ. Ex quorum singulis finibus licet contrahere Matrimonium.

43 Tenetur vterque coniux ex iustitia reddere debitum coniugale petenti: ita vt sine caussa rationabili negans omnino debitum, mortaliter peccet. Potest tamen hic, & nunc excusari coniux à reddendo debito propter aliquam grauem necessitatem, & caussam, aut propter adulterium alterius; & in ijs casibus, in quibus licitè potest fieri diuortium. De quibus rebus consulat Confessarius Auctores infra citandos, cùm casus occurrerit.

44 Copula coniugalis debet esse in vase naturali; alioqui erit mortale. Inordinatio autem in modo, vt si mulier sit incuba, vt vir succubus, vel si vir accedat à tergo, &c. si nullum sit periculum effu-

effusionis seminis extra vas naturale, & impedimenti prolis; erit veniale, si fiat sine iusta causa. Tactus verò, & oscula ordinata ad copulam coniugalem licita sunt, dummodo sint sine prædicto periculo.

45 Accedere ad vxorem grauidam, cum graui periculo abortus, est mortale: at sine tali periculo, ad summum erit veniale. Sicuti accedere ad menstruatam cum graui periculo est mortale: at sine tali periculo ad summum est veniale.

46 Ratione temporis nunquam per se est mortale accedere ad vxorem, siue in solemnioribus diebus, siue etiam nocte præcedente communionem: quamuis tunc melius sit abstinere, citra periculum incontinentiæ, & nisi fiat ex contemptu. Seruanda est etiam loci decentia in reddendo debito. De quibus plura *Sanchez lib. 9. & 10.* de debito coniugali, & diuortio. *Bonac. de Matrim. quæst. 4. Tolet. lib. 7. à cap. 18.*

DE

DE ECCLESIÆ Præceptis.

1 ECclesiæ præcepta sunt quinque, videlicet. 1. Audire Sacrum diebus Dominicis, & Festis. 2. Ieiunare in Quadragesima, & alijs diebus præceptis: & abstinere à carnibus etiam diebus Veneris, & Sabbati. 3. Confiteri semel in anno. 4. sumere Eucharistiam in Paschate. 5. Soluere decimas.

DE I. PRÆCEPTO Ecclesiæ.

Audiendi Sacrum.

2 CIrca primum præceptum tenetur homo Fidelis, baptizatus, non impeditus, post completum vsum rationis, in diebus festis assistere Sacro taliter, vt censeatur moraliter esse præsens illi Sacrificio, etiamsi interdum non audiat vocem Sacerdotis, nec illum videat: dummodò iudicio Prudentis censeatur moraliter præsens, animo audiendi,

seu assistendi Missæ. Neque esse potest in hoc alia regula generalis: & sufficit vnum Sacrum audire etiam in die Natiuitatis.

3. Tenetur adesse toti Sacrificio: potest tamen sine mortali aliquam minimam partem præmittere. Alij putant vsque ad Euangelium exclusiuè. Securius est vsque ad Epistolam exclusiuè: vel in fine Missæ post consumptum Sacramentum à Sacerdote, non tamen potest relinquere vtramque partem. Potest etiam vna pars vnius Sacri coniungi cum alia parte alterius: atque adeo ea pars, quæ omissa est in vno Sacro, potest suppleri per similem partem in alio Sacro. *Coninch q. 74. art. 8. num. 101.*

4. Non est necesse, vt in confessione dicatur causa omissionis Sacri: nisi aliunde illa esset ex se mala: sed satis est dicere, se omisisse Sacrum sine causa legitima: potest enim esse aliqua legitima causa omittendi Sacrum, vt fortibus, aliqua grauis necessitas, vel propria, vel aliena, periculum vitæ, aut alicuius magni mali, & similia, vt infra.

5. Si quis deuotionis causa audiret Sacrum,

Sacrum, cum animo adimplendi præceptum per aliud Sacrum ; potest postea mutare voluntatem, & satisfacere præcepto per prius illud Sacrum. Si tamen ipse putaret, se non satisfeciſſe per illud Sacrum, & teneri ad aliud audiendum, & non audiret ; peccaret ex conſcientia erronea *Filliuc. tract. 5. c 7. n. 211.*

6. Requiritur aliqua attentio, ita vt initio habeat homo intentionem audiendi Sacrum: nec voluntariè diſtrahatur, ita vt in notabili parte peinde ſe haberet homo, ac ſi Sacro non intereſſet.

7. Item ſi quis ex malo fine adeſſet Sacro, dummodo debitam attentionem, & voluntatem audiendi haberet ; impleret præceptum , licet peccaret in circumſtantia finis. Voluntariæ verò confabulationes, & aliæ quæcumque actiones diſtractiuæ à debita attentione, maximè ſi illicitæ ſint, & ad notabilem partem; impediunt præcepti impletionem ; licet aliqui probabiliter putent , quòd ſi diſtractio non impediat exteriorem aſſiſtentiam, [illegible] & deuotionem ad Sacrum ; non tollat impletionem præcepti. *Coninch qu. 83. art. 6.*

art.6.num.302. Psalmi vero, & preces possunt cum debita attentione coniungi, & nullo modo impedire. *Filliuc. loc cit.num.216.*

8. Si in vno die festo pluribus capitibus teneretur homo audire Sacrum; quia scilicet est dies Dominicus,& quia est festum alicuius Apostoli; non peccaret,omittendo, nisi vnico peccato: quia omnia illa capita præcisè tēdunt ad audiendum Sacrum, vt sic; atque ita illa circumstantia plurium præceptorum non est necessariò aperienda in confessione. Si autem etiam teneretur ex voto; tunc esset circumstantia omnino aperienda: quia tunc esset debita auditio Sacri, vt peculiari modo promissa Deo, & esset sacrilegium: primo autem modo non esset sacrilegium, sed vel peccatum inobedientiæ, vel irreligiositatis. Si quis discederet ex vno loco die festo cum animo audiendi Sacrum in alio loco vicino, probabiliter putans, se ibi præceptum impl[illegible]re posse, si ibi non inueniat, non peccat.

9. Quando festum est solum intra Vrbem,

Vrbem, si quis egrediatur in agrum, non tenetur ibi audire Sacrum.

10. Qui habet subditos, tenetur dare illis commoditatem audiendi Sacrum, nisi subsit legitima aliqua causa in contrarium.

11. Potest aliquis excusari à peccato non audiendo Sacrum, primò ob ignorantiam, vel obliuionem inuincibilem. secundo ob impotentiam, vel physicam, vel moralem: physica est si quis ita esset detentus, vt non posset, etiam si vellet. Vt si grauiter ægrotaret, si esset clausus domi, vel in carcere, vel quid simile. Moralis est, cùm quis posset quidem, si vellet; sed vt nolit occurrunt sufficientes, secundùm Prudentiam, rationes excusantes. Vt si esset excommunicatus, vel interdictus: si ex Charitate, vel Iustitia cogeretur non adesse Sacro: si timeret graue aliquod periculum, & similia. *Filliuccius loco citato à num.* 224.

DE II. PRÆCEPTO Ecclesiæ.

Ieiunij, & Abstinentia.

CIrca secundum præceptum Ieiunij, tenetur homo ieiunare modo Ecclesiastico omnibus diebus præceptis post completum vigesimum primum annum, vsque ad sexagesimum completum: siue hæc Ieiunia sint communia toti Ecclesiæ, siue alicui Prouinciæ, aut Diœcesi particulari: si verò sint ex voto ieiunantis; consideranda est eius intentio. Est autem ieiunium corporale duplex, Naturale, & Ecclesiasticum. Primum consistit in totali abstinentia cibi, & potus à media nocte quacumque de caussa: ad quod tenentur, qui sumere volunt Eucharistiam, extra Viaticum. Secundum consistit in quadam determinata abstinentia. Vndè si quis sumat aliquid etiam parum, & per modum medicinæ; frangit ieiunium naturale, non autem Ecclesiasticum, quod consistit in vnica comestione continua (nisi adsit caussa ad aliquod

quod tempus diuidendi) ciborum non prohibitorum, circa meridiem. Cui addi potest serotina cœnula, more consueto Ecclesiæ: in qua scilicet non adhibeantur, nisi fructus, vel legumina, & similia, quæ in tertijs mensis adhiberi solent: & non excedatur quantitas sex, vel octo vnciarum Romanarũ regulariter. Hæc cœnula potest manè præmitti cum caussa rationabili, si prandium differatur vsque ad noctem.

2. Si quis in die ieiunij bis, aut ter frangeret ieiunium; non committeret, nisi vnum peccatum in prima fractione at verò si bis, aut ter comederet carnes, & cibos vetitos; quoties comederet, toties peccaret. Ratio est, quia in prima fractione iam redditur impotens ad seruandum ieiunium, & sic cessat obligatio præcepti: at in secundo casu non redditur impotens ad non comedendas carnes post primam comestionem: & cùm præceptum sit negatiuum, obligat semper, & ad semper.

3. Frangitur ieiuniũ, non solum per plures, aut inordinatas comestiones; sed etiam per comestionem ciborum prohi-

bitorum, vt sunt carnes, & lacticinia. Et quidem per carnes simpliciter frangitur: per lacticinia verò, quando non est priuilegium, aut consuetudo approbata. Vndè qui à Medicis dispensantur ad carnes, simpliciter dispensantur ad ieiunium: non autem si solùm dispensentur ad lacticinia Et in primo casu, si quis cũ carne comederet etiam pisces; non peccaret, nisi intemperanter comederet: & iuxta qualitatem intemperantiæ esset peccatum. Si quis pluribus horis ante meridiem comederet sine causa, frangeret ieiunium: licet aliqui putent, non frangere, sed solum venialiter peccare.

4. Potest aliquis excusari à ieiunio propter necessitatem corporalem, aut propter nimium laborem, iudicio Prudentis, aut propter paupertatem, quia non habet, quod sufficiat in vnica comestione. Item excusantur prægnantes, & nutrices, &c. Non tamen si excusatur à ieiunio, eo ipso potest comedere cibos prohibitos: cùm ad hos sit alia prohibitio.

5. Si quis redderet se impotentem ad ieiunandum, vel exludo, vel ex alia causa

cauſſa non neceſſaria; poſita impotentia, etiam culpabili, non peccat non ieiunando: niſi ex hoc fine non ieiunandi redderet ſe impotentem.

6. In diebus Veneris, & Sabbati, quando non coincidunt cum ieiunio aliquo; non prohibentur lacticinia, ſed ſolum carnes, iure communi: exceptis pueris ante vſum rationis.

7. Potus ordinarius, etiam vini, quamuis eſſet intemperatus, & ſine cauſſa; non ſoluit ieiunium Eccleſiaſticum; quia non prohibetur lege ieiunij: & in cibis poteſt dari paruitas materiæ.

8. Si quis per tranſitum reperiatur in loco, vbi ieiunetur, non animo morandi ibi; non tenetur ad ieiunium, niſi ſit vniuerſale.

9. Poteſt demum quis excuſari à Ieiunio per diſpenſationem Superioris, quam poteſt concedere Epiſcopus reſpectu huius, vel illius ſibi ſubditi: & Superiores Religionum reſpecti ſuorum ſubditorum. Requiritur autem ad diſpenſandum cauſſa ſufficiens, ſaltem probabilis, vel dubia.

DE III. PRÆCEPTO Ecclesiæ.

Confessionis faciendæ.

1 CIrca tertium præceptum Confessionis, tenetur quilibet Christianus, ex quo peccauit mortaliter, semel in anno confiteri. Ad cuius præcepti obseruationem sufficit, si confiteatur in Paschate. Si autem non confiteatur in Paschate; debet alio tempore confiteri: ita vt verum sit, quòd semel in anno saltem confiteatur. Quando autem incipiat hic annus; probabile est incipere ab illo die, quo quis incidit in peccatum mortale: ita vt intra annum à tali die, teneatur confiteri. Item tenetur quilibet confiteri in articulo, vel periculo probabili mortis: aut cùm esset vnicum remedium confessio ad vitandum peccatum mortale: aut si non esset habiturus suo tempore copiam Confessarij.

2. Si quis nullum haberet mortale, quod confiteretur; non obligatur hoc præce-

præcepto: sed ad summum sufficit, si se præsentet Confessario, dicens se non habere materiam necessariam confessionis, cùm non teneatur confiteri venialia.

3. Si quis sine dolore, aut cum obice peccati cõfiteretur; aliqui putant, quòd implet hoc præceptum: sed alij probabiliùs asserunt non implere: nisi bona fide fuisset confessus, ignarus indispositionis suæ; in quo casu posset differre aliam confessionem in totum sequentem annum.

4. Si quia intra annum non confitetur habens mortale; tenetur semper confiteri, quamdiu habet commoditatem confitendi: alioqui semper erit in continuo peccato: quia hoc præceptum non est affixum alicui parti anni determinatæ, qua elapsa, non obligat; sed semper obligat; donec impleatur elapso anno. Reliqua, quæ pertinent ad confessionem, dicta sunt supra, cùm actum est de Sacramento Pœnitentiæ.

DE IV. PRÆCEPTO Ecclesiæ.

Eucharistiæ sumendæ.

1 EVcharistia sumi potest. 1. materialiter tantùm: vt si quis infidelis illam sumeret. 2. Sacramentaliter tantùm: vt si quis baptizatus sumeret illam, existens in peccato mortali, indignè. 3. Sacramentaliter, & spiritualiter: sicuti, qui illam dignè suscipiunt. 4. Spiritualiter tantùm, per votum scilicet, & desiderium illam dignè suscipiendi. S. *Thom.* 3. *p. qu.* 80. *art.* 1. *&c.* Hic erit sermo de 2. & 3. modo sumptionis.

2. Ex communi sententia tenetur Christianus, ex vi præcepti diuini, aliquoties in vita communicare, & maximè in articulo mortis. Hoc autem præceptum satis impletur pro tempore vitæ, si impleatur præceptum Ecclesiasticum.

3. Ex hoc ergo Ecclesiastico præcepto, tenetur Christianus, saltem ab anno pubertatis, sumere Eucharistiam in Pascha.

Paschate: scilicet à Dominica Palmarũ, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: & quidem, saltem semel in sua Parochia, aut in Maiori Ecclesia. Ad hoc autem recipiendum dignè, requiritur, vt sit ieiunus naturaliter à media nocte præcedenti sumptionem Eucharistiæ; & vt non habeat conscientiam peccati mortalis. Quòd si habeat, debet necessariò præmittere confessionem sacramentalem: etiam si putaret se esse contritum. *Trident. sess. 13 cap. 7.*

4. Si quis non sumeret Eucharistiam in Paschate, siue sine culpa, siue etiam cum culpa; probabile est non teneri ad illam sumendam, nisi in alio Paschate: quia hoc præceptum est affixum determinatæ parti anni, qua elapsa non vrget amplius *Bonac. disp. 4. q. 7 puncto 2. nu. 13.* Potest tamen Confessarius, iusta de causa, differre suo pœnitenti tempus communicandi post Pascha. *Filliuc tract. 4. cap. 2. nu. 56.* ex capite Omnis vtriusque sexus, &c. & tunc tenetur ille sumere Eucharistiam iuxta Confessarij dilationem.

5. Si quis sacrilegè communicaret in

peccato ; Aliqui probabiliter putant, quòd implet præceptum: quia Ecclesia non præcipit, nisi exteriorem illam sumptionem, quamuis peccet ita faciendo. Quare aliqua differentia est in hoc casu, & in Confessione Sacramentali; nam in casu Eucharistiæ, etiam sacrilegè acceptæ verè recipit integrum, & verum Sacramentum: at in confessione sacrilega non est verum, & integrum Sacramentum, quod præcipitur ab Ecclesia. *Coninch q. 8. art. 9 dub. 4. num* 107.

6. Si quis habens conscientiam peccati mortalis non haberet copiam Confessarij, & ex alia parte vrgeret præceptum Eucharistiæ, quod sine scandalo omitti non posset, aut similis aliqua grauis necessitas vrgeret; hic, præmisso actu contritionis, saltem putatæ, posset sumere Eucharistiam, cum animo statim ac potest confitendi: & idem dicendum est de Sacerdote celebrante. De quare *Trident. sess. 13. cap. 7.* Lege *Coninch q* 80. *a. 3. d. 2.*

7. In eodem die nemo potest his cõmunicare, nisi Sacerdos in ijs casibus, in quibus eodem die plures Missas celebrat,

brat, vt in die Natiuitatis, &c. Vtrum autem possit qui mane communicauit; extra articulum mortis, superueniente postea graui morbo, ac periculo vitæ, eodem die sumere Viaticum non ieiunus; vtraque opinio est grauium Doctorum & videtur probabilis. Vide *Dianam par. 4. tr. 4. Miscell. res. 197.*

8. Potest quilibet ægrotus, imo tenetur, saltem semel, si sit in periculo vitæ, sumere Eucharistiam per modum viatici, iudicio Medicorum, etiam non ieiunus: & quidem non solum semel, sed pluries potest: dummodo inter vnam, & aliam sumptionem intercedant ad minimum octo, vel decem dies: nisi adsit aliqua peculiaris prohibitio. Licet non possit recipere Sacramentum extremè Vnctionis, nisi semel, durante eodem periculo mortis: quia illud Sacramentum est refectionis, & nutritionis spiritualis, qua homo semper indigere potest: non autem hoc vltimum, quod est ex se vltimum. Vndè quamdiu homo est in vno vltimo periculo, satis est vnum: si autem conualesceret, & iterum esset in alio vltimo periculo;

iterum

iterum posset tale Sacramentum recipere.

9. Id etiam intelligi debet de phreneticis, & de non perpetuò amentibus, quando non potest expectari tempus opportunius: dummodo non sit periculum vomitus, aut notabilis alicuius indecentiæ, & irreuerentiæ: aut nisi constaret talem hominem esse indignum. Idem dicendum est de Energumenis, & damnatis ad mortẽ ordinariè loquendo.

10. Potest homo hoc Sacramentum Eucharistiæ recipere, etiam ante peractam pœnitentiam sacramentalem: nisi ex mandato Confessarij fuisset obligatus illam implere ante communionem.

11. Potest quilibet, etiam ante annũ pubertatis, communicare: dummodo habeat perfectum vsum rationis, & sciat id, quod necessarium est iudicio Confessarij, aut prudentis viri: etiam si sit nouem, vel decem annorum.

12. Copula matrimonialis, præcedens nocte immediata; non impedit necessariò communionem: quamuis in hoc casu melius sit illam differre. At verò si copula præcedens fuisset fornica-

xia; regulariter impedit sumptionem: nisi aliud necessitas, & maxima deuotio exigeret.

13. Similiter, post commissum graue peccatum, consultius est differre communionem, quoulque homo cum maiori decentia, reuerentia, & deuotione accedere possit. *Coninch loco cit. art. 7.* Pollutio verò nocturna inuoluntaria, per se non impedit. *Bonac. disp. 4. qu. 6. pun. 2. n. 4.*

14. Effectus huius Sacramenti, in his, qui dignè illud recipiunt, sunt. 1. Augmentum gratiæ; per accidens autem potest interdum dare primam gratiam sanctificantem, & remissionē peccatorum: vt si quis prudenter existimās se esse in gratia, cùm tamen reuera non sit; accederet cum attritione ad tale Sacramentum. Ita *S Th. Suar.* & alij apud *Filliuc tract. 4. cap 6. num* 162. 2. Auxilia quædam gratiæ suis temporibus ad vitanda peccata, & nutriendam deuotionem 3. Remissio venialium, excitando aliquem bonum motum contra illa 4. Moderatio aliqua fomitis concupiscē-tiæ. 5. Aliqua ratione resurrectio corporis in

ris in die Iudicij. Lege *Bonac. disp. 4. q. 4. puncto* 1.

DE V. PRÆCEPTO Ecclesiæ.

Decimarum.

1 CIrca vltimum præceptum soluendi decimas, nihil occurrit ad rem. Tenentur tantùm Christi fideles soluere decimas, iuxta vsum Patriæ suæ, qui in diuersis diuersus est.

2. De Præceptis Ecclesiæ scripsere complures *Suarius*, *Filliuc.* & Alij multi in materia de Sacramentis, & Præceptis Decalogi. *Azor tom* 1. *lib.* 7. *Tolet. lib.* 6. *Bonac tom* 2. de præceptis Eccl. Et fusissimè *Fagund.* in opere de hac re.

DE PRÆCEPTIS Decalogi.

1 PRæcepta Decalogi sunt decem notissima. 1. est de cultu veri Dei. 2. de non iurando falsum. 3. de festorum

rum sanctificatione, & hæc pertinent ad Deum. 4. de honore in parentes. 5. de non occidendo. 6. de non fornicando. 7. de non furando. 8. de non ferendo falsum testimonium. 9. de non concupiscenda re aliena. 10. de non concupiscenda aliena muliere. Hæc præcepta, licet sint naturalia; fuerunt tamen à Deo specialiter data per Moysen suo populo, & sunt ab omnibus seruanda: & tenetur Christianus, illa aliquo modo scire.

DE PRIMO PRÆCEPTO Decalogi.

Colendi Deum.

2 HOc præcepto præcipitur cultus veri Dei, quo tenemur verum Deum venerari, & colere: iuxta regulas virtutis Religionis, quæ est prima post Theologales. Hoc autem maximè facimus assistendo Sacrificio Missæ, & offerendo cũ Sacerdote: itẽ orãdo, laudãdo, petendo: & communiter in vsu Sacramentorũ, & in adoratione Dei, quæ dicitur latria: quæ est actus voluntatis,

per

per quem Deo, propter eius excellentiam, tamquam primi principij, & Domini, nos ipsos subijcimus, & veneramur. Ex quo sequitur laus, & honor, & benedictio Dei. Et ad hanc Christianam Religionem supponitur Fides, de qua infra.

De Superstitione.

3 COntra hoc præceptū peccari potest per peccatum superstitionis. Est autem Superstitio quædam irreligiositas, vel vana, seu falsa religio: cuius duplex est genus. Primum, vt cùm Deū colimus, sed modo indebito, & prohibito: vt si quis nunc coleret Deum per sacrificia, & ceremonias antiquæ legis, aut gentilium, quod esset mortale. Et similiter alijs modis illicitis, & ab Ecclesia prohibitis: vt si quis in Sacramentorum vsu vellet propria auctoritate aliquid addere, vel demere, fingere reliquias, falsa miracula, &c. Erit autem mortale, si res sit grauis.

4. Aliud genus superstitionis vniuersalius, & magis commune est, cùm cultus,

tus, qui debetur Deo, datur dæmoni, aut alteri, quàm Deo: & vocatur Idololatria. De qua *Suarius tom. 1. de Religione tract. 3. lib. 2. cap. 3. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 11. Tolet. lib. 4. cap. 14. Filliuc. tom. 2. tract. 24. cap. 2.* Quod peccatum potest esse cum hæresi, & sine hæresi: si enim includat aliquem errorem in intellectu, cum debita notitia, qui sit contra Fidem; erit hæresis: si verò nullum talem errorem includat, sed ex prauo affectu voluntatis aliquis talem cultum exhibeat dæmoni, sciens illum non esse Deum, vt aliquid ab eo obtineat; sic erit solùm sacrilegium cõtra Religionem: siue hic cultus sit explicitus, siue implicitus, dummodo scienter sit volitus: & vtroque modo habet annexam excommunicationem in Cœna Domini in foro externo: quia hi semper sunt vehementer suspecti de hæresi, licet in conscientia, si nulla fuit hæresis, non sint excommunicati.

5. Quia verò ad hunc cultum homines moueri solent ex aliquo fine; hinc hoc peccatum ex varijs finibus. &

dis illos assequendi, varia nomina, & varias species accidentaliter diuersas sortitur.

titur. In quibus illud vniuersaliter est aduertendum, quòd interdum simul cum hoc peccato contra Religionem possunt, ratione materiæ, alia coniungi contra Iustitiam, contra Temperantiam, & alias Virtutes. Sed hic consideramus illud præcisè, vt est contra Religionem.

De Magia.

6 QVamuis ergo varij variè distinguere soleant has species superstitionis; commodè tamen mihi videtur diuidi posse modo sequenti: vt prima eius species sit Magia propriè dicta, prout ab alijs distinguitur. Est autē Magia quædam ars falla, à dæmone tradita, ad finem faciendi effectus aliquos mirabiles, & veluti miraculosos, & extraordinarios, opera dæmonis: quos effectus, si non excedant potestatem, & virtutem dæmonis; potest dæmon facere, Deo permittente: si verò excedunt; tūc [illegible] mentitur, vel decipit illudendo sensus humanos: non enim dæmon potest facere vera miracula. Quotiēs-

tiescumque ergo aliquis hanc artem exercet, saltem implicitè; habet pactum cum dæmone, & illum colit, & sic peccat contra Religionem ex hoc capite, & est suspectus de hæresi, vel de apostasia: solet enim dæmon hoc exigere à suis discipulis. De Magia agunt *Suarius loc. cit. à cap. 15. Filliuc. loc. cit. cap. 7. Tolet. loc cit.*

De Diuinatione.

7 ALia species huius falsi cultus consistit in Diuinatione, quæ est secunda species Superstitionis. Est autem Diuinatio, prout sumitur à Casistis, cùm quis ope dæmonis, & arte illicita ab eodem tradita, vult scire ea, quæ naturaliter scire non potest, siue absolutè, siue hic, & nunc: & sic etiam includitur pactum, saltem implicitum cum dæmone, & eius cultus. Quæ occulta aliquando dæmon verè scire potest: quod si non potest; mentitur, & decipit: & quia hæc ars diuinandi varijs modis, & veluti medijs fieri solet; hinc ex diuersitate mediorum sortita, est varia nomina:

na: nam potest esse per fictas apparētias, & figuras in oculis ; & dicitur Præstigium: vel per somnia: & dicitur Diuinatio per somnia: aliquādo per fictas mortuorum suscitationes; & dicitur Necromantia, vel per statuas; & dicitur Geomantia: vel per figuras apparentes in aquis, vel in aëre, vel in igne; & dicitur Hydromantia, Aëromantia, Pyromantia. vel per interiora animalium; & dicitur Aruspicium. His ergo, & similibus modis velle aduerteter scire res occultas; est peccatum mortale , & pactum cum dæmone.

8. Extenditur etiam hoc peccatum diuinationis, cùm aliquis, ex ipsis rebus merè naturalibus, vult scire ea, quæ non possunt ex talibus rebus sciri. Vndè etiā hic intercedit aliquod implicitum pactum cum dæmone: vt si velit hæc scire, & prænunciare ex situ astrorum, & garritu auium, & animalium: ex volatu earumdem auium: ex verbis casu ab aliquo prolatis: ex signis, & lineis in manu, aut corpore humano. Quibus correspōdet Astrologia iudiciaria in ijs, in quib, est prohibita, Augurium, Auspicium, Omen,

Omen, & Chiromantia: his additur Sortilegium per sortes diuinatorias, ad diuinandas scilicet res occultas, quibus maximè vti solent Mahometani: nam sortes diuisoriæ, quibus aliquæ res diuiduntur in plures; non sunt per se illicitæ præcisè: nec sortes consultoriæ, quando subest rationabilis causſa, & expectatur à Deo humiliter electio, cùm aliter fieri commodè nequeat. Agunt de Diuinatione *Suar. loc .cit. cap. 7. &c. Filliuc. loc.cit. à cap. 3. Azor. tom. 1 lib. 9. à cap. 12. Sanc. in sum. to. 1. l. 2. à. cap. 38.*

De Vana Obseruantia.

9 TErtia species superstitionis dici solet Vana obseruantia, quæ consistit in hoc: quando scilicet speratur aliquis effectus, alioqui etiam bonus, per media; quæ videntur esse licita, & religiosa; sed tamen non sunt ad illum effectum sufficientia: & sic saltem tacitè immiscetur commercium, & pactum aliquod cum dæmone, & eius cultus: nã dæmon, etiam per res ipsas alioqui sanctas, conatur hominem decipere, & sibi coniungere. Hoc autem his cõmuniter

modis contingere solet. Primò cùm aliquis per quasdam determinatas orationes, & ieiunia, & similia vult habere scientiam veluti infusam: & hæc dici solet ars notoria, quæ à dæmone tradita est. Secundò cùm ad sanitatem obtinendam vsurpantur media vana, & inutilia admixta rebus sacris, & orationibus, non approbatis ab Ecclesia. Huc reducitur vana obseruantia circa Reliquias, Euangelia, Sacram Scripturam, & res Sacramentales: quando illis admiscentur quædam determinatæ circumstantiæ inutiles, & vanæ: & adhibentur ad effectus, ad quos non sunt à Deo, vel ab Ecclesia ordinata: hoc enim etiam pacto dæmon illudit homines. Huc etiam reducitur vana obseruantia quorumdam euentuum ad prædicendos alios futuros: vt si in nocte S. Ioannis hoc, vel illud contingat: & similia, quæ in re graui, & posita notitia, quòd sint res prohibitæ, & inutiles, poterunt esse peccata mortalia: at verò ex ignorantia, aut ex leuitate facta, maximè in rebus leuis momenti à rudibus hominibus; erunt venialia. Agunt de

vana

vana obseruantia *Sanchez loc. cit cap.* 40. *Bonac. tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 5. *p.* 4. *Filliuc. loco cit. cap.* 6. *Tolet. lib.* 4. *cap.* 16.

De Maleficio.

10 VLtima species superstitionis ponitur esse Maleficium: sed hæc facile reduci potest ad primam, nempe ad Magiam: est enim Maleficium, cùm aliquis arte o[illegible]um facit, vel dicit aliqua ad nocendum alijs. Quare quæ diximus de Magia, quantũ pertinet ad peccatum superstitionis, possunt huc tranferri: solùm enim differre possunt, quia potest esse Magia solùm ad mira quædam facienda, etiamsi alijs non noceant: Maleficium verò est ad nocendum. Solet etiam dici Veneficium: vndè habet etiam adnexum peccatum iniustitiæ, sicuti etiam & aliæ superstitiones habere possunt: & potest etiam esse ad turpem amorem, qui est malum spirituale, & interdum etiam temporale proximi. Ex quibus omnibus constat, has omnes species superstitionis, in ratione superstitionis, habere malitiam ex vno capite, qua includunt

pactum cum dæmone, & commercium cum ipso, & consequenter aliqualem ipsius cultum: licet in materia differre possint, & in fine, vt initio monui. Potest etiam coniungi hæc vana religio cum indebita tractatione rerum sacrarum, præsertim Sacramentorum: & tunc, etiam ex hoc capite, erit nouum sacrilegium, omnino explicandum in confessione, [illegible] grauitatem rei.

11 Vbi etiam aduertendum est, quòd non est licitum maleficium soluere alio maleficio: posset tamen comburi statua illa, vel res, quæ interdum fit à maleficio, si in tali combustione non intercedat vllum pactum cum dæmone. Ad hanc speciem reducuntur Lamiæ, seu Stryges, quæ dici solent (Streghe ô Fatucchiare) & quicumque quocumque modo, aut fine habeat commercium, & pactum cum dæmone, & illum veneretur, aut colat ad nocendum, vel quodcumque aliud peragendum.

12 Qui scit aliquem esse Magum, vel Maleficum quocumque modo ex dictis; tenetur illum reuelare, vel Prælato, vel Inquisitoribus: quia semper hi

sunt

sunt suspecti in Fide. Agunt de Maleficio *Suar. loc. cit. cap. 6. & 17. Filliuc. loc cit. cap. 8 Sanch. loc. cit cap. 41. Bonac. loc. cit. punct. 5. Tolet. loc. cit. cap. 16.*

De Blasphemia.

13 PEccatur etiam contra hoc primum præceptum per blasphemiam. Est autem Blasphemia conuicium, vel dictum, vel maledicentia contra Dei laudem, & honorem ei debitum: & aliquando est coniuncta cum hæresi, aliquãdo non, iuxta supradicta. Potest autem esse, Primò per modum enunciationis: vt cùm negatur de Deo id, quod est, vel affirmatur id, quod non est, ex prauo voluntatis affectu: vt si quis diceret, iniustus Deus, etiam si id non ita credatur esse. Secundò per modum imprecantis, vel detestantis: vt maledictus Deus, ad despectum Dei, Huc reducuntur blasphemiæ illæ ordinariæ, per sanguinem, vel corpus Dei, &c. quando non sunt verè iuramenta, sed quodam iræ impetu dicuntur in virtualem aliquem Dei, vel Christi Domini contemptum.

14 Blasphemia alia dicitur Hæreticalis, alia Simplex. Prima est in qua, quoad verba, continetur error contra Fidem: sed reuera intellectus nõ assentitur illi errori: alioqui esset vera hæresis. Secunda est, in qua non continetur talis error. Similiter, quando similia conuicia dicuntur in Sanctos, & res sacras, est blasphemia: quatenus hæc peculiari modo pertinent ad Deum. Et quamuis facere dæmonium sanctum sit blasphemia hæreticalis, tamen in aliquibus locis, propter communem vsum, habet rationem simplicis blasphemiæ. Blasphemiæ in Sanctos omnes sunt eiusdem speciei: at verò in Deum immediatè, aut in Beatam Virginem; videntur esse diuersæ speciei: sicuti latria, hyperdulia, & dulia, sunt diuersæ speciei intra virtutem Religionis. Agunt de Blasphemia *Suar. tom. 1 de Relig. tract. 3. lib. 1. à cap. 4. Sanch. loc. cit. cap. 32. Filliuc. loc. cit. tract. 25 cap. 1. Tolet. lib. 4. cap 13. Azor. tom. 1 lib 9. cap. 28.*

15 Maledicere creaturis irrationalibus precisè, & nõ in quantùm referuntur in Deum, aut in Sanctos; communiter est

est veniale : at verò maledicere creaturis rationalibus, potest esse mortale, si res est grauis, & consensu deliberato, vt in tale malum incidant. & iuxta qualitatem mali, est qualitas peccati. Lege *Fil. linc. tom. 2. tract. 10. cap. 5.*

De Irreligiositate, & Sacrilegio.

16 VNiuersaliter peccatum contra Religionem dicitur Irreligiositas, vel Sacrilegium. De qua diuisione plura *Suar. tom. 1. de Rel. tract. 3. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. cap. 1.* Est autem Sacrilegium læsio, seu violatio rei sacræ : nempe vel personæ, vel loci sacri, vel aliorum pertinentium ad hæc, in quantum sacræ res sunt : vt sunt vestes sacræ, & similia. Itaque sacrilegium est violare personas sacras, vt sunt Clerici, & Religiosi, inijciendo violentas manus in illas, suadente Diabolo : violare immunitatem personarum earumdem, aut Ecclesiarum : abuti vestibus, & vasis sacris ad res turpes, & prophanas : peccare contra votum castitatis. Item probabile est in Simonia inueniri

sacrilegium. Polluere etiam Ecclesiam per sanguinis, vel seminis effusionem, & similia, sacrilegium est.

17 Furari rem sacram in loco sacro, quod dici solet sacrum de sacro: aut rem sacram in loco non sacro, quod dici solet sacrum de non sacro: & furari rem non sacram in loco sacro, quod dici solet non sacrum de sacro; si sit veluti deposita; & sub custodia loci sacri; sacrilegium est. At si non sit sub custodia loci sacri; aliqui affirmant sacrilegium esse furari illam in loco sacro, aliqui negant. Videtur dicendum, si tale furtum committatur sine notabili irreuerentia, aut iniuria loci sacri, non esse sacrilegium, aut saltem non esse mortale in genere sacrilegij: si verò sit cum notabili iniuria loci sacri, vt si quis publicè furaretur in loco sacro, aut quid simile; esset sacrilegium mortale.

18 Peccare in die festo, aut solemni non est sacrilegium; nisi fiat ex contemptu: nam tempus, cùm sit res successiua, & fluens; non est capax veræ, & veluti internæ consecrationis, sicuti personæ, & loca sacra: sed solum dicitur sacrum, quia

quia aliquæ sacræ actiones peculiariter fiunt illo durante, & aliquæ prophanæ prohibentur. Est autem sacrilegium, ex genere suo, peccatum mortale, nisi excuset paruitas materiæ, aut inaduertentia. Agunt de ipso *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. initio. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 6. Filliuc. tom. 2. tract. 24. cap. 6. Azor. tom. 1. lib. 6. cap. 27. Less. lib. 2. c. 45. dub. 2.*

De Tentatione Dei.

19 AD Irreligiositatẽ pertinet peccatum tentationis Dei. Est autem Dei tentatio, vt hic accipitur, cùm quis aliquid facit, aut dicit, quo sine vlla rationabili caussa, seu præter ordinem rectæ rationis, velit veluti cogere Deũ, vt suam potentiam, scientiam, voluntatem, iustitiam, aut aliquod aliud attributum ostendat, siue pro ipso tentante; siue pro alijs: atque hoc pacto velut experimentum facere diuinæ potentiæ, &c. Vt si quis nollet vti cibo, & potu, & vellet conseruari à Deo in vita: & relictis medijs ordinarijs, & necessarijs, expectaret à Deo effectum extraor-

traordinarium, & miraculosum, &c Dixi, sine rationabili caussa: nam si quid simile fieret interdum ex interno instinctu Spiritus Sancti; non esset tentare Deum.

20 Potest autem hæc tentatio esse directa, & explicita: quando scilicet procederet ex expressa intentione experiendi modo dicto diuina attributa: & potest esse tacita, & interpretatiua, cùm scilicet reuera fit aliquid ex se ordinatum ad tale experimentum: quamuis expressè id non intendatur. Et vtroque modo potest esse mortale in materia graui: vt si homo se exponeret manifesto periculo vitæ, aut grauis mali proprij, aut proximorum, aut quòd veritates Fidei derideantur, & spernantur ab infidelibus, aut innocens damnetur, aut sit vana curiositas, & ignorantia culpabilis rerum Fidei, aut quid simile. De hac re *S Tho. 2. 2. quæst. 97. Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1 initio Less. lib. 2. cap. 45. dub. 1.*

21 Huic peccato contra Religionem possunt adnecti peccata, quæ sunt cõtra Virtutes Theologales, quæ sunt tres, Fides, Spes, Charitas.

Di

De peccatis contra Virtutes Theologicas.

22 CONtra fidem est Hæresis, Iudaismus, & Paganismus. Hæresis est, cum quis, qui profitetur se esse Christianum; negat aliquam, vel aliquas veritates Fidei pertinaciter: scilicet sciens esse contra id, quod tenet Ecclesia Romana. Iudaismus est, cùm negatur nouum Euangelium, & admittitur vetus testamentum. Paganismus est, cùm tota Fides negatur. Apostasia a Fide coincidit cum his: si enim est totalis; dicitur Paganismus: si partialis; vel est Hæresis, vel Iudaismus. Probabile autem est omnia peccata infidelitatis esse eiusdem speciei, & differre solùm secundùm magis, & minùs. Potest etiam peccari contra Fidem per omissionem: cùm scilicet, vrgente præcepto de credendo, aliquis non eliciat actum Fidei: sed hoc peccatum non est hæresis, nec habet adnexam excommunicationem.

23 Contra Spem peccatur peccato desperationis, & præsumptionis. Primũ

est, cùm quis desperat, se posse saluari, etiam cum auxilijs diuinis, aut desperat hæc auxilia. Secundum est, cùm quis præsumit, se posse saluari, etiam sine sua cooperatione, aut gratia Dei.

24 Contra Charitatem specialiter peccatur per odium Dei, aut per omissionem actus amoris, quando vrget præceptum. Omnia autem peccata mortalia sunt aliquo modo contra Charitatem: quatenus destruũt Dei amicitiã. Aliqua specialiter, quæ sunt contra bonum proximi: de quibus dicitur sparsim in alijs præceptis. De peccatis contra Virtutes Theologicas legi potest *Tolet. lib. 3. initio Azor. tom. 1. lib. 9. initio. Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 6. 33. & 35. Filliuc. to. 2. tract. 22. à cap. 4.*

DE SECVNDO Præcepto Decalogi.

Non assumes nomen Domini in vanum.

1 PRohibetur hoc præcepto omnis actio, qua irreligiosè, & irreuerenter,

renter, & non cum debito honore sanctissima Dei nomina vsurpentur, & hoc pacto polluãtur. Cùm enim Dei nomen aliquod vsurpamus; tenemur reuerenter, religiosè, & sanctè vsurpare: vt fit in Iuramento, Adiuratione, Voto, & similibus: de quibus hic agendum est.

De Iuramento.

2 IVramentum est inuocatio, seu attestatio diuini testimonij in confirmationem alicuius rei: & potest esse quadruplex. Assertorium, Promissoriũ, Comminatorium, & Execratorium. Exemplum primi est: si quis per Deum iuret hoc, vel illud esse verum. Secundi, si quis iuret, se daturum aliquid, vel facturum in bonum. Tertij, si quis iuret, se pœnam aliquam, aut malum alicui illaturum. Quarti, vt si quis sibi pœnam imprecetur sub iuramento, si hoc, vel illud faciat, aut dicat: vt Deus hoc, vel illud mihi faciat: moriar, si hoc, vel illud faciam. Potest autem iuramentum fieri explicitè per ipsum Deum: aut implicitè iurando per creaturas, quatenus

aliqua ratione plus minus ordinantur ad Deum, vt per Sanctos, per cœlum.

3 Iuramentum est licitum, si habeat debitas conditiones, quæ dicuntur comites iuramenti: nempe veritatem, iudicium, & iustitiam. Veritas est, cùm iurat id, quod putat esse verum prudenter, & habet animum adimplendi id, quod iurat. Iudicium est, vt reuerēter, & cum animaduersione, & necessitate iuret. Iustitia est, cùm non offenditur irrationabiliter proximus contra iustitiam. Et vniuersaliter opus est, vt materia proxima iurandi sit honesta. Si desit prima conditio; regulariter est mortale; si desit secunda; regulariter est veniale; si desit tertia; potest esse mortale, si iniustitia sit grauis.

4 Quando licet æquiuocare; licet etiam iurare sub illa æquiuocatione. Si non est necessitas iurandi; non licet iurare sub æquiuocatione. Quando quis legitimè interrogatur à Superiore, secundum regulas iustitiæ; non licet æquiuocare, & multo minus iurare sub æquiuocatione; nisi fortè esset periculum mortis suæ, aut grauis damni.

5 Qui

5 Qui iurat, se facturum rem aliquam leuem, etiam bonam, aut indifferentem; non tenetur sub mortali illam exequi, vt dicetur de voto; datur enim paruitas materiæ in Iuramento promissorio, quoad executionem rei promissæ, sicuti in voto, vt dicemus infra; quamuis non detur paruitas materiæ in Iuramento assertorio; non enim licet vocare Deum in testem alicuius falsi, licet minimi. Multò minùs tenetur, si post iuramentum cognoscat, rem iuratam non expedire, aut esse malam. Ita parentes, quando iurant se punituros filios, vel seruos, possunt postea mutare voluntatem, si videant id non expedire; quamuis malè faciant facilè, & leuiter iurando.

6 Qui iurat se facturum rem mortaliter malã; mortaliter peccat; si verò sit solũ mala venialiter; peccat venialiter; & in nullo casu tenetur adimplere iuramentũ tale. Qui verò iurat cũ animo nõ adimplendi quod iurat; peccat mortaliter. Qui iurat latroni, non coactus, se daturum aliquid; tenetur ex iuramento; quamuis facilè possit petere absolutionem;

nem: qui verò iurat coactus, potest æquiuocare, & non tenetur. Si verò non est vsus æquiuocatione; tenetur, nisi petat dispensationem. De commutatione vero, & relaxatione iuramenti idem dicitur, quod dicetur de voto.

Si quis verè habeat, voluntatem iurandi iuramento promissorio, & in materia honesta; statim sequitur obligatio illud implendi: etiam si quis, per ignorantiam, iuraret sine voluntate se obligandi.

8 Si iuramentum promissorium fiat de actu virtutis soli Deo promissæ; sequitur naturam voti: non enim obligat, nisi sit de meliori bono, vt dicetur de voto: si verò sit de promissione facta homini; obligat, etiam si non sit de meliori bono. Aguat de Iuramento *Azor. tom. 1. cap. 11. initio. Suar. tom. 2. de Relig. tract. 5 Filliuc. tom. 2. tract. 25. Tolet. lib. 4. cap. 20.*

De Adiuratione.

9 IVramentum consequitur Adiuratio. Est autē Adiuratio cùm inducitur aliqua persona ad aliquid faciendū, vel

vel non faciendum in uocatione Dei, vel alicuius rei sacræ. Dupliciter autem fieri potest. Primo per petitionem, orationem, vel obsecrationem. Secundò per imperium, & coactionem: & si fiat cum debitis requisitis est actus Religionis: de quo *S. Thom. 2. 2. quæst. 90.*

10 Requiruntur in Adiuratione proportionaliter tres illi comites iuramenti supra explicati: nempe veritas, iudicium, & iustitia. Veritas primò consistit in eo, vt adiuratio fiat per verum Deum, aut res verè sacras: vt si quis dicat rogo te per Deum omnipotentem, per Iesum Christum, per Beatissimam Virginem, &c. vt hoc, vel illud facias, &c. Vnde si Adiuratio fieret per falsos Deos, aut Dæmonem, aut quid simile; esset ex se peccatum mortale reductiuè ad Idololatriam.

11 Secundò veritas consistit, vt non fictè res aliqua petatur: id est animo non obtinendi illam. Tertiò, vt si in petitione assignetur causa, ea etiam vera sit, & non ficta; vt si quis propter fictam paupertatem peteret eleemosynam propter Deum, &c. Et in his duobus regula-

gulariter erit peccatum veniale, quatum spectat ad Virtutem Religionis, nisi adsit contemptus, vel aliqua alia circumstantia grauioris peccati.

12 Iudicium etiam requiritur in Adiuratione: vt scilicet fiat cum debita reuerentia, necessitate, aut vtilitate, & non temere, & inutiliter; ne assumatur nomen Dei in vanum. Defectus autem huius circumstantiæ communiter est peccatum veniale, vt dictum est de iuramento.

13 Iustitia etiam requiritur: vt scilicet per adiurationem non petatur res iniusta, aut mala. Vndè, sicut etiam dictum est de iuramento, si res erit mala venialiter; erit etiam adiuratio mala venialiter; si verò res erit mala mortaliter; ita erit, & adiuratio. Vndè, si quis peteret fornicationem, vel homicidium, &c. per Deum, aut Sanctos; peccaret mortaliter non solùm per desiderium malum fornicationis, sed etiam contra Religionem.

14 Cum debita humilitate, & reuerentia possumus orando, & deprecando adiurare Deum ipsum, per se ipsum, & per Iesum Christum, aut per Sanctos, tan-

tanquam per personas sibi gratas, & dilectas, & per sacra mysteria ob nostram salutem peracta, vt per Passionem Christi, &c. Ita possumus Beatam Virginem, & Sanctos homines, & Angelos petendo, & obsecrando adiurare per Deum, & Iesum Christum, & per se ipsos; non autem per creaturas inferiores. Similiter possumus omnes viatores adiurare per Deum, &c. Nullo autem modo possumus adiurare Dæmones deprecatiuè; & regulariter hoc esset mortale.

15 Adiurare imperatiuè, & coactiuè possunt Superiores suos inferiores in rebus, in quibus sunt subditi, & non aliter. Quo casu, si præceptum Superioris, cui adnexa est adiuratio, obligaret ad mortale; peccaret quidem subditus non obediendo, sed non peccaret per se ratione adiurationis: nam adiuratio in tali casu non inducit nouam obligationem in subdito, & multo minus in eo, qui non esset subditus.

16 Creaturæ irrationales, vt animalia nociua, grandines, & tempestates, & similia, secundū se directè, & propriè nō pos-

possunt adiurari; quia non sunt capaces rationis, vt possit per adiurationem moueri ad aliquid; quatenus verò mouentur, siue à Deo in pœnam peccatorum, siue à Dæmone iniquo animo ad nocendum; possunt indirectè adiurari, siue adiuratione deprecatiua in ordine ad Deum, siue imperatiua in ordine ad Dæmonẽ; & ad hoc vtimur Exorcismis. Possunt etiam impropriè adiurari, per immediatam efficientiam supernaturalem super ipsas creaturas irrationales, explicatam per imperium metaphoricè dictum; sicut Christus Dominus imperauit ventis, & mari; hoc autem spectat ad virtutem miraculorum.

17 Licitè possunt Dæmones adiurari, vt pellantur à corporibus obsessis adiuratione imperatiua, & coactiua, in nomine Dei, & Sanctorum, &c. In hac autem adiuratione non sunt curiosè interrogandi Dæmones de rebus, quæ nihil conferunt ad expulsionem, vel fidelium ædificationem; alioqui intercederet superstitio; quæ, nisi fortè excusaretur paruitate materiæ; esset mortalis. Hæc autem adiuratio publica, & ex offi-

officio, solis ministris Ecclesiæ habentibus Ordinem Exorcistatus conuenit: priuatim verò, ex Fide, & fiducia in Deum, possunt ceteri fideles adiurare Dæmones: præsertim qui haberent hanc gratiam gratis datam illos eijciendi.

18 Solet etiam esse inter homines adiuratio quædam moralis, & politica: vt cùm petunt aliquid ab aliquo, propter vitam suam, aut filiorum, aut quid simile, sine ordine ad Deum, & res sacras. Hæc autem nihil habet peculiare distinctum ab ipsa petitione. Quare si petitio erit mala; erit pariter hæc adiuratio. Plura de his habet *Suar. tom. 2. de Relig. tract. 5. lib. 4. Sanch. in summa tom. 1. lib. 2. cap. 42. Filliuc. to. 2. tract. 24. c. 8. q. 7.*

De Voto.

19 VOtum est deliberata, & voluntaria promissio facta Deo de meliori bono. Per Deum intelliguntur etiam Sancti, quatenus peculiari modo sunt Deo coniuncti: dicitur de meliori bono, id est de bono, quod non sit incompossibile cum alio meliori: atque adeo

adeo non impediat maius bonum. Vnde votum de nubendo non tenet, quia impediret ingressum Religionis: teneret autem, quando cælibatus non esset moraliter possibilis vouenti.

20 Si quis iniustè cogatur ad vouendum; non tenet votum, neque est votum. Si quis ex metu iniusto etiam voueat, dummodo metus non ordinetur ad votum, sed homo vt se liberet à tali malo, voueat; tenet votum. Vndè si quis vt euadat periculum inimici voueat; tenet votum.

21 Si quis voueat sine animo adimplendi; peccat mortaliter: sicuti qui voueret rem impossibilem sibi, sciens impossibilitatem. Si quis voueat rem malam, aut leuem, aut indifferentem; dicendum est, sicuti diximus de iuramento. Si quis rationabiliter dubitet se vouisse; non tenetur ad votum: si verò scit se vouisse, & dubitet de materia voti; tenetur ad alteram partem materiæ. Si verò dubitet, an impleuerit votum; tenetur adimplere. Si quis vouit Religionem, non tenetur ad castitatem, etiam si non ingrediatur Religio-

ligionem: & si nubat, quamuis peccet, vt supra diximus, potest petere debitum: qui autem vouit castitatem, si nubat cõtra votum, non potest petere debitum, licet possit reddere.

22 Vouens rem bonam propter malum finẽ, peccat iuxta finis qualitatem, & non tenetur ad votum. Votum non obligat vltra intentionem vouentis.

23 Votum aliud est simplex, aliud solemne: hoc secundum est in professione Religiosa, & in voto castitatis adnexo Ordinibus Sacris: reliqua vota sunt simplicia. Votum solemne est, cùm per aliquem Superiorem ex parte Dei, & publica auctoritate acceptatur indissolubiliter de lege ordinaria: & solet etiam fieri publicè cum aliqua solemnitate.

24 Votum secundò diuiditur in Reale, & Personale. Personale est, quod pertinet ad personam vouentis, & per illam adimpletur, vt Castitatis, Religionis. Reale est, cùm pertinet ad rem aliam; vt dare eleemosynam, soluere pecuniam, &c. quod potest adimpleri per alium, cùm personale non possit.

25 Votũ tertiò diuiditur in absolutũ, con-

conditionale, & pœnale. Primum est, cùm fit ex affectu simplicis rei, quæ vouetur: vt, cùm quis ex amore castitatis vouet castitatem, quia putat, rem illam esse gratam Deo, &c. Conditionale est, cùm fit, si aliqua conditio adimpleatur vt si Deus liberet me ab hoc periculo vouco castitatem, &c. Pœnale est, cùm fit in pœnam: vt si lusero, vouco me daturum talem pecuniam &c. Itaque dignoscitur votum conditionale, & pœnale ab absoluto: quia in conditionali, & pœnali non mouetur vouens ad vouendum ex affectu, & amore in rem ipsam, quam vouet; sed vt fugiat aliquid, pro quo determinat sibi pœnam verbi gratia, vt non ludat, vt non furetur, &c. vel vt habeat aliquid, quod desiderat, vt sanitatem, libertatem, &c. pro qua obtinenda vouet.

26 Probabile est, Votum pœnale, & conditionale numquam esse reseruan Summo Pontifici, etiam si sint Castitatis perpetuæ, & Religionis: quamuis vota absoluta harum rerum sint reseruata.

27 Circa votũ potest esse commutatio, dispensatio, irritatio, seu annullatio

Com

Commutatio est, cùm ex vna materia transfertur in æquiualentem. Dispensatio est, quando relaxatur voti obligatio, siue in toto, siue in parte, quæ non debet esse perpetua. Irritatio est, quando tollitur omnino votum in radice, ita vt non sit ampliùs votum.

28. Potest quilibet Confessarius absoluere à peccatis commissis contra vota, nisi talia peccata sint reseruata: non tamen commutare, dispensare, aut irritare, nisi modis sequentibus.

29. Potest Pater irritare vota filiorū, facta ante 14. annum expletum, id est annos pubertatis.

30. Potest Superior Religionis irritare vota suorum subditorum: item Dominus seruorum: vir vxoris, & è contra in ijs in quibus alter alteri subditur. Valent tamen ea vota, antequam irritētur, nisi sint in materia non subdita potestati vouentis: sic enim numquam valent: & in hac irritatione non est necessaria caussa.

31. Commutare vota, & dispensare pertinet ad Prælatos, seu Episcopos: nisi sint reseruata Pontifici: qualia communiter

niter sunt vota perpetuæ Castitatis, Religionis, & tria Peregrinationis, nempe Compostellam, Romam, & Hierusalé. nec potest id fieri, sine caussa à Prælatis inferioribus Papæ.

32. Commutare votum in aliquod maius, vel æquiualens omnino, cũ caussa, potest quilibet Confessarius, imo, & ipse pœnitens secundùm aliquos.

33. Qui potest in voto, potest & in iuramento dispensare, aut relaxare: dũmodo sit in tali materia, in qua posset, si esset votum.

34. Vota, & iuramenta in fauorem tertiæ personæ, si sint acceptata ab illa, non possunt relaxari, sine illius consensu: quia læderetur iustitia: nisi in pœnam tertij, si illam meretur. Quod intelligitur respectu vouentis, qui potest sealzeri obligare. Agunt de voto *Suarius tom. 2. de Religione tract. 6. Bonac. to. 2. disp. 4. quæst. 2. Tolet. lib. 4. cap. 17.*

DE

DE III. PRÆCEPTO Decalogi.

Sanctificandi dies Festos.

1 ALiqui dies festi dicuntur esse sub præcepto: vt omnes dies Dominici, & alij plures: in quibus, ex hoc præcepto, tenentur Christiani ad duo ex necessitate: nempe ad Sacrum audiendum, & ad cessandum ab operibus seruilibus.

2. Circa primum nihil est addendum ad id, quod diximus in primo præcepto Ecclesiæ.

3. Circa secundum abstinendum est ab operibus seruilibus à media nocte ad mediam noctem sequentem. Dicuntur autem opera seruilia communiter opera artium mechanicarum. Item abstinendum est ab operibus prohibitis ab Ecclesia, etiam si non sint seruilia, vt infra.

4. Studere, scribere, aut transcribere, docere, designare, & delineare, venari feras, piscare, ludere, iter agere, cantare, & sonare, publicæ nundinæ,

etiam si omnia hæc fiant ex pretio aliquo, non sunt prohibita.

5. Prohibentur tamen strepitus iudiciales, & curiales, etiam si non sint opera seruilia: nec potest in diebus festis ferri sententia Iudicis, nec testes examinari, & similia, nisi adsit Priuilegium pro rusticis.

6. Pingere communiter censetur esse prohibitum: emere necessaria ad quotidianum victum, sicuti, & vendere priuatim, non est prohibitum; ornare templa, vel verrere, vel alia facere ad diuinum cultum; quæ non possunt fieri saltem commodè antecedenti die; non est prohibitum.

7. Transferre merces, & onera de vno loco in alium extra necessitatem; nó licet, inchoando iter in die festo: si tamé festum incidat post iter inchoatum; possunt muliones prosequi suum iter. *Sanchez loc. cit. dub.* 7. Coquere cibos, parare mensas, & alia necessaria facere ad quotidianum victum; licet. Quæ tamen pridie festi fieri possunt, & solent, vt coquere panes; non licet facere in die festo, nisi necessitas aliud postulet, aut

parui-

paruitas materiæ. Lege *Sanchez locis citatis.*

8. Potest esse veniale cõtra hoc Præceptum, si materia sit leuis, & absit contemptus. Censetur autem leuis materia non excedere duas horas toto die festo laborando, &c.

9. Excusat ab obseruatione huius præcepti necessitas, siue corporalis, siue spiritualis, siue propria, siue aliena, cui aliter subueniri non potest iudicio Prudentis: aut etiam licentia Episcopi: aut rationabilis, seu recepta consuetudo in aliqua re.

10. Quamuis peccare mortaliter in diebus festis, & præsertim solemnioribus, aut in triduo Passionis, possit esse circumstantia aggrauans; non tamen est mutans speciem, nec necessario confitenda, nisi fieret ex contemptu: nam peccatum non est propriè opus seruile, sed metaphoricè. *Sanchez tom. 2. lib. 5. consil. cap. 2. dub. 3.* Addi etiam potest tẽpus diei festi non esse sacrum per aliquã consecrationem receptam in ipso, sicuti est sacra Ecclesia, vel persona Sacerdotis, &c. quorum violatio est Sacrilegiũ:

sed solùm per aliquam denominatio-
nem extrinsecam, aut coexistentiam a
res sacras, quas Christianus tenetur in
die festo exercere: & ita non est eadem
ratio.

11. Circa hoc præceptum potest dis-
pensare Episcopus respectù huius, ve
illius sibi subditi: & Superiores Reli-
gionum respectù suorum subditorum
ad quod non est necessaria euidens cau
sa, sed sufficit probabilis, aut etia
dubia.

12. Præterea ex consilio, & conde
centia debent Christiani diebus festi
maximè vacare rebus spiritualibus, &
Verbo Dei. De sanctificatione dieru
festorum agunt *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 1*
Azor. tom. 2. lib. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 17
Tolet. lib. 4. cap. 24.

DE IV. PRÆCEPTO Decalogi.

Honorandi Parentes.

1 Filij tenentur sub mortali subuenire
parentibus in graui, aut extrema
necessitate corporali, aut spirituali
quan-

quantum possunt. Tenentur etiam sub mortali, dum sunt sub patria potestate, illis obedire circa res domesticas, aut pertinentes ad suam educationem, in rebus grauibus, & maioris momenti: in alijs venialiter peccant, si non obediant. Si graue aliquod illis damnum in persona inferunt; peccant mortaliter, & debent explicare circumstantiam prædictam. Item si irrationabiliter illos grauiter contristent, si contemnant, si blasphement, aut iniuria afficiant deliberatè, & voluntariè, si odio habeant; peccant iuxta qualitatem materiæ: & hoc peccatum est contra pietatem debitam parentibus. Ducere vxorem indignam contra Patris voluntatem; est mortale: interdum etiam erit mortale nolle ducere vxorem dignam, quam parentes offerunt, propter aliquod magnum bonum, quod ex tali Matrimonio oriretur, posito quod filius habeat animum ducendi vxorem. Non tenentur filij obedire parentibus in rebus malis, aut consilijs diuinis contrarijs.

2. Tenentur è cõtra parentes educare

filios, præbendo alimenta, & instruen ad bonos mores, & curare, quantum i ipsis est, vt seruent mandata Dei; & Ec clesiæ, & discant necessaria ad Fidem. Lege *Filliuc. tom. 2. tract. 28. par. 2. cap. 1. & 2. Bonac. tom. 2. disp. 6. q. vnica. Tolet. lib. 5. initio.*

3. Ad hoc præceptum reducitur Obseruantia, quæ debetur Superioribus temporalibus, & spiritualibus: tenentur enim subditi, etiam in foro conscientiæ, & sub mortali, obseruare leges iustas, si sint in materia graui, iudicio Prudentis, & non sint merè pœnales: tunc enim solum tenentur ad pœnam subeundam post sententiam Iudicis: si verò sit paruitas materiæ, aut leges sint de re nó graui: tenentur sub veniali. Quæ omnia intelligenda sunt, quando materia legis, alioqui ex se non est sub aliquo alio præcepto naturali: tunc enim ex se potest esse graue peccatum contra legem: vel leue, iuxta qualitatem materiæ. At verò quantum est ex vi legis humanæ; seruanda sunt, quæ diximus. Similiter non esset peccatum, saltem mortale, si quis transgrediatur legem, etiam in re graui,

graui, quando Legislator non vult obligare sub peccato, si aliàs illa transgressio non esset peccatum ex se.

4. Nolle obedire legi humanæ, etiã in re minima, si fiat ex graui contemptu Legislatoris, est mortale: non autem si fiat ex leui contemptu, aut inconsideratione, aut iracundia. Lege *Suar. de legib. tom. 3. cap. 21. & sequent. Azor. tom. 1. lib. 5.*

5. Tenentur etiam Christiani obedire Prælatis spiritualibus, & Episcopis: & iuxta qualitatem præcepti, & rei, quæ præcipitur, potest esse transgressio mortalis, vel venialis. Contemnere autem Prælatos, graue peccatum est.

De Denunciationibus faciendis.

6 AD obedientiam debitam Prælatis pertinent denunciationes, quæ in duplici casu cõmuniter fieri solent. Primus est, quando Episcopus iubet sub pœna excommunicationis reuelari scripturas, aut res deperditas, vel ablatas, &c. de quibus *Trident. sess. 24. ca. 4.* de Reformat. Secundus est, cùm denunciandæ sunt occulta crimina, præsertim

Inquisitoribus: cùm denunciandi sunt hæretici, vel suspecti de hæresi, iuxta Edicta Sanctæ Inquisitionis. De quibus aliqua necessaria sunt pro Confessarijs, vt sciant suos pœnitentes in his rebus dirigere.

7. Et quidem circa primum dupliciter contingere potest, vt Prælatus præcipiat sub excommunicatione hoc, vel illud fieri. Primò, vt ad hoc, quod præcipitur faciendum teneatur ille, cui præcipitur sub peccato mortali, etiam antecedenter ad præceptum Prælati: vt si præcipiatur restitui res, vel scriptura furto ablata, vel iniustè detenta: quam qui detinet teneatur alioqui sub mortali restituere. Secundò, si id quod præcipitur solùm obliget sub mortali posito præcepto, quia scilicet iudicio prudentis Prælati existimetur res esse talis, vt possit cadere sub præcepto, etiam si ante præceptum non sit talis, aut non sit cognita, vt talis. Et alterum ex his requiritur, vt excommunicatio sit iusta: & in vtroque casu tenentur subditi regulariter sub mortali obedire, exceptis sequentibus casibus.

8. Ex-

8. Excusat ergo primò ab huiusmodi reuelationibus ignorantia, vel impotentia, etiam moralis. Secundò si excommunicatio supponit peccatũ mortale, primo modo ex dictis: is enim qui tale peccatum non commisit, non tenetur. v. g. quis accepit secretò pecuniam alienam, ob occultam compensationem, in casu, quo compensatio licet; non tenetur talem pecuniam restituere, etiam posita excommunicatione: quia hæc supponit peccatum mortale, quod in tali casu non antecessit. & sic de similibus.

9. Tertiò excusantur ij, quos pars, ad cuius instantiam lata est excommunicatio, intendit excipere, siue expressè, siue tacitè. Quartò si per ipsa verba monitorij, Prudentis iudicio, quis eximatur. Quare diligenter aduertenda sunt verba, quæ semper ita debent intelligi, vt non contineant errorem intolerabilem vel manifestam iniustitiam: sic enim non obligarent in conscientia. Quinto si talis reuelatio scripturæ, aut alterius rei, quam aliquis iustè retinere posset; caderet in graue aliquod dam-

num sui, aut personæ alicuius valde sibi coniunctæ: vt parentum, filiorum, fratrum, &c. Sextò si res sit alicui nota sub secreto sigilli naturalis. Ceterum si aliqua difficultas hic & nunc occurrat; cōsulat Confessarius viros doctos, aut Auctores infra citandos.

10. Circa denunciationes faciendas Inquisitoribus, regulariter certum est teneri omnes denunciare tales personas criminosas, contentas in eorum edictis intra illud tempus, vt ibi præscribitur sub pœna excommunicationis. Quod si culpa sua non faciant; incidunt in illam: à qua non possunt absolui, nisi reuelent, aut nisi extinguatur præceptum de reuelando. Quòd si per ignorantiam, vel impotentiam non reuelauerint; tenentur postea, cessante ignorantia, vel impotentia, reuelare intra totidem dies, quot positi erant in edicto. Et idem regulariter dicendum est, quando Episcopus præciperet sub excommunicatione reuelari aliquod delictum ob bonum publicum, aut causam benè sibi visam.

11. Non est necessarium, vt denuncians delinquentes in causis Fidei, iuxta edicta

edicta Inquisitorum, possit probare crimen delinquentium: nam, iuxta communem praxim Inquisitionis, denunciator adhibetur, vt testis, nec tenetur, aut cogitur probare crimen denunciati: si autem in aliquo Tribunali denunciator teneretur probare id, quod denunciat; tunc, si non posset probare, non teneretur, nec deberet denunciare. Et per hoc fortè possunt conciliari sententiæ, quæ in hac re videntur contrariæ: aliqui enim loquuntur in secundo casu, aliqui in primo.

12. Similiter in causis Fidei potest fieri denunciato absque præuia correctione fraterna: quia hæc denunciatio non respicit simpliciter correctionem fratris, sed est iudicialis, respiciens etiã punitionem ad exemplum aliorum: atque adeo regulariter sine scrupulo ita fieri debet. Si verò crimen esset occultum, & per secretam correctionem speraretur emendatio; posset præmitti correctio fraterna: quæ, si haberet suum effectum, non esset necessaria denunciatio: excepto crimine hæresis malitiosè, in quo vix potest sperari emendatio per

fraternam correctionem: sed potiùs poterit obesse, quàm prodesse. Dixi, malitiosè, quia si quis per ignorantiam, aut inaduertentiam, aut quid simile incideret in hæresim ; posset præmitti correctio fraterna.

13. Hinc sequitur, quòd si crimen est occultum, & iam emandatum per secretam correctionem, aut alio modo, nec timeatur relapsus; non sit necessaria denunciatio: si verò crimen est publicum, etiam si sit emendatum ; necessaria est denunciatio in caussis Fidei, maximè si sit hæresis formalis, quia adhuc remanet finis huius denunciationis, qui est punitio rei ad publicum exemplar : & facilè timeri potest, quòd emendatio sit ficta, & simulata , & non vera, ad fugiendas pœnas, &c.

14. Hæreticus est denunciandus à quolibet, qui eius hæresim nouit; quamuis id sciat quouis secreto, etiam sub iuramento (excepto secreto confessionis sacramentalis) & quamuis sit persona sanguine coniuncta, etiam in secundo, & primo gradu consanguinitatis, & affinitatis : in alijs verò criminibus non

est

est cum tanto rigore procedendum, nisi esset contra patriæ proditorem, aut personæ Regis. Quare in aliquo casu particulari difficiliori consulantur Doctores mox citandi. Sic etiam, nec tenetur aliquis ad hanc denunciationem cum periculo vitæ, aut grauis damni sui, aut suorum: nisi in casu, in quo, propter bonum commune, teneretur subire quoduis, etiam mortis periculum. Item nec tenetur reus denunciare se ipsum, nisi quando iam interrogatur, vt reus à Iudice: potest tamen, & debet præsentare se ad petendam absolutionem à censura (si sit reseruata) Superioribus habentibus ad id facultatem, à quibus benignè accipietur, vt spontaneus. Demum nec tenetur Socius criminis denunciare socios, sicut nec se ipsum: nisi cùm interrogatur vt reus.

15. Qui incidit in aliquam ex his excommunicationibus, si potest ante confessionem denunciatæ, sicuti tenetur; non est absoluendus ante denunciationem: nisi aliquis fide dignus promitteret se statim denunciaturum, & res

pati

pati posset hanc moram: quæ promissio etiam necessaria est, cùm pœnitens tũ non potest denunciare, sed dicit se suo tempore denunciaturum. De denunciãdis verò Confessarijs sollicitantibus dicetur infra in particulari. Agunt autem de prædicta materia *Suar. de cens. disp. 20. & de Fide disp. 20. sect. 4. Auila de Censuris par. 2. cap. 5. disp. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 14. cap. 1. & 2. Diana par. 1. tract. 4. de denunciationibus. Bonac. tom. 1. tract. de cens. disp. 2. quæst. 6. puncto 1.*

DE V. PRÆCEPTO Decalogi.

Non occidendi.

1 PRohibetur hoc præcepto non solum iniusta hominis occisio, sed etiam vulneratio, sanguinis effusio, percussio, mutilatio, incarceratio, & similia alia mala contra salutem corporalem proximi, seu contra, ipsius personam. Et quidem ex genere suo est peccatũ mortale, nisi excusetur paruitate materiæ, aut ex imperfecta deliberatione. De homicidio

micidio agunt *Suarius* de censuris ex occasione irregularitatis *disp* 44 & sequentibus. *Azor. tom. 3. lib. 2. Filliuc. to. 2. tract. 29. Less lib. 2. cap. 9. Bonac. de Contractibus disp. 2. quæst. vltima. Tolet lib. 5. cap. 6.*

2. Cùm quis ita occidit, vel vulnerat, &c iniustè; non solum peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem: nō quidem præcisè pro damno personali, sed pro reali, si aliquod tale damnum coniunctum sit. v. g. qui occidit seruum alterius; tenetur ad iustum pretium: qui vulnerat; tenetur ad expensas pro sanatione, & ad id, in quo seruus deterior est factus: qui occidit Patrem familias; tenetur vxori, aut filijs restituere, si quid ipsi vtilitatis habebant à patre. Et hæc omnia, & similia determinanda sunt iudicio prudentis viri, & solent per compositionem determinari.

3. Cum hoc peccato confitendæ sunt circumstantiæ, quæ mutant speciē, quæ sæpe sunt cum illo coniunctæ: vt si fuerit Clericus, aut Religiosus persona occisa. Si pater, aut mater, aut in primo gradu saltem consanguinitatis, & affinitatis:

Alij

Alij etiam putant in alijs gradibus. Sit loco sacro, aut si aliqua circumstantia faciat casum reseruatum, aut adnexum alicui censuræ, iuxta regulas generales de circumstantijs. Item numerus occisorum, etiam si vno ictu occidantur.

De Homicidio casuali.

4 HOmicidium iniustum, & sic de alijs, quæ sub homicidio continentur, potest esse duplex: vel voluntarium, vel casuale. Primum est, cum quis, vel immediatè occidit, vel aliquid facit, aut omittit iniustè, ex quo sequitur occisio, ex animo, & voluntate occidendi: ita vt velit occidere, saltem materialiter siue iuxta causla: licet interdum finis præcipuus non sit occisio, sed aliquid aliud, vt furtum, vel adulterium. Casuale est, cùm quis aliquid facit, aut omittit, ex quo, præter ipsius intentionem, sequitur occisio: imò interdum contra intentionem. Et quidem primo modo, semper est peccatum, iuxta qualitatem damni, vt dictum est: nec

verò semper secundo modo, vt dicetur.

5. Si quis det operam rei, aliàs licitæ, etiam periculosæ, & adhibeat debitam, & prudentem diligentiam, ne sequatur homicidium, etiamsi sequatur, nullum est peccatum: dummodo post factum displiceat, seu non ratum habeatur, Si verò aliqua negligentia parua interuenerit; erit veniale: si magna, mortale. Hinc Medici possunt interdum in suo munere peccare.

6. Si quis verò det operam rei illicitæ, vndè sequatur homicidium; non est vna omnium sententia. Mihi videtur ita dicendum. Operatio, de qua loquimur, potest esse illicita, seu prohibita dupliciter; primò ex hoc ipso fine, & causa, ne sequatur homicidium, sicuti prohibetur duellum, bellum iniustum, agitatio taurorum, exercenda per homines imperitos, & similia. Secundò potest esse illicita ex alijs finibus: & hæc dici solet propriè, aliàs illicita: nam illa prima non potest rectè dici, aliàs illicita, sed illicita ex hoc ipso præcepto non occidendi, Si ergo detur

opera

opera rei illicitæ secundo modo: dico esse prorsus eamdem rationem, ac de opere licito: dummodo, considerata natura actionis hic & nunc, adhibeatur sufficiens diligentia ad vitandam occisionem. Si verò sermo sit de opere illicito primo modo; dico regulariter illud esse peccatum, etiam si non sequatur occisio, & multo magis, si sequatur, propter periculum, cui se homo exponit, & propter prohibitionẽ iustitiæ. Quando autem censeri debeat facta sufficiens diligentia, pendet ex Prudentis iudicio.

7. Hinc infertur, quod si ex omissione, & negligentia Principis, aut eorum, ad quos spectat, sequantur in Ciuitate, aut Regno homicidia, &c. peccet mortaliter Princeps, &c. quia tenebatur non omittere diligentiam ex iustitia ad hũc ipsum finem, ne talia delicta fiant. Similiter, qui in bello iniusto occidit inimicum, etiam ob sui defensionem, peccat, quia tenebatur tale bellum non committere. Item si adulter sciat ex adulterio secuturam occisionem adulteræ, quam ipse impedire non possit; peccat etiam

etiam contra iustitiam, si accedat ad adulteram: & si illa occidatur; est reus homicidij, quia dabat operam rei illicitæ primo modo: si autem id non potuit præuidere, & adhibuit sufficientem diligentiam, ne sequeretur homicidium; non imputabitur illi.

De Participantibus.

8 NOn solum is, qui occidit, peccat modo supradicto, sed etiam omnes illi, qui continentur his carminibus.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Id est, qui præcipit, qui dat consilium, qui consentit, id est ratum habet factū, siue ante, siue post occisionem: qui laudat factum, vel laudat, vt fiat: qui defendit iniustum homicidam, & præbet recursum ad se, non ratione personæ, sed ratione homicidij: qui partem aliquam habet in homicidio: qui fuit socius criminis aliquo modo, & auxilium præbuit:

præbuit : qui non præmonet occidendum, cùm potest sine suo periculo, aut damno, & multo magis si teneretur ex iustitia id facere : vltimò non manifestans veritatem ad defendendam vitam innocentis, similiter cùm potest, & debet.

9. Ex his sequitur, non peccare eũ, qui non impedit iniustum homicidium alterius, vel quia non potest, vel quia, licet possit, tamen si ipse vellet impedire, exponeret se periculo grauis alicuius damni, ad quod periculum non tenetur se exponere : si tamen quis hæc possit, & non faciat ; peccat contra Charitatem.

10. Si quis iubeat alium occidi, & ante occisionem reuocet mandatum, sciente mandatario ; si mandatarius occidat, non peccat mandans, nec illi imputatur homicidium ; si verò consilium dans reuocet consilium ; adhuc imputabitur ipsi, si alius ex suo consilio occidat ; quia reuera eius consilium influit in homicidium, quia non fuit reuera reuocatum, quamuis alius conatus fit reuocare. Si verò fuerit reuera reuocatum,

catum, & alius occidat non ex illo consilio; tunc non imputabitur peccatum consilium danti.

De Homicidio sui ipsius.

11 HOc præcepto non solùm prohibetur occisio proximi, sed etiam sui ipsius. Itaque si quis occidit se ipsum, vel grauiter offendit in vita, aut membris, &c. regulariter peccat mortaliter; quia nullus est dominus vitæ suæ, aut membrorum, sed custos, & vsufructuarius. Et quidem in nullo casu licet se occidere, aut aliquid facere, vndè immediatè mors sequatur, nisi instinctu S. Spiritus, vt aliqui Martyres, qui se in ignem proiecerunt. At verò citra mortem in aliquibus casibus potest homo amputare sibi aliquod membrum, siue per se, siue per alium, effundere sanguinem, vulnerare, &c. cùm scilicet hæc sunt necessaria ad vitæ conseruationem: cùm membrum esset putridum, aut veneno infectum, vnde sequeretur mors, aut quid simile: & quamuis etiam ob salutem spiritualem,

& per-

& perfectionem, possit aliquis se verberare vsque ad sanguinis effusionem, & abstinere à cibis cum aliquo corporali detrimento, citra periculum mortis; non tamen ex hoc licet membrum aliquod amputare, aut se occidere: quia salus spiritualis potest esse cum integritate vitæ, & membrorum per alia remedia.

12. Non tenetur homo facere, aut vitare omnia in omni casu, ex quibus sequitur eius mors: sed potest interdum permittere sui occisionem. Vndè potest aggredi in bello iusto inimicos, etiam cum periculo suæ vitæ: potest non occidere iniustum aggressorem, etiam si ex hoc sequatur propria occisio: nisi fortè ipse esset persona valde necessaria Reipublicæ, & eius inimicus minimè. Potest non sumere medicamenta terribilia, aut vehementia, etiam si sequatur eius mors ex tali omissione: non enim tenetur cum tanta difficultate custodire vitam: potest seruare castitatem, aut seruare regulam suæ Religionis approbatæ, etiam si hic & nũc accelleretur mors, & similia: & multo magis potest, &

tenetur

tenetur permittere sui occisionem in defensionem Fidei, & Charitatis, vitando omnia peccata, etiam venialia. At verò præter rationem permittere se occidi, aut aliquid facere, vnde sequatur mors, est peccatum mortale regulariter.

De homicidio iusto.

13 HOmicidium potest esse iustum in aliquibus casibus. Primò cũ fit auctoritate publica, iuxta allegata, & probata, & seruato ordine iuris: & sic ministri iustitiæ non peccant occidendo, &c. nisi id faciant ex odio: tunc enim peccant contra Charitatem: & ipse reus potest, & tenetur cooperari suæ morti, accedendo ad locum supplicij, præbendo collum, &c.

14 Secundò ob iustam sui defensionem, vel suorum, aut amicorum, aut innocentum, & honoris contra iniustum aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ: aut etiam in defensione bonorum suorum, non tamen si sit res leuis momenti. Dicitur autem moderamen inculpatæ tutelæ, quando quis non po-

testaliter se defendere, nisi occidat, vel si possit, non tamen tenetur. Ita vir nobilis, & miles, non tenetur fugere, sicut tenetur Religiosus, aut alius vilis, si fuga potest vitare periculum: nemo tamen, potest ob defensionem suæ vitæ occidere innocentem. Vnde mulier grauida ex adulterio non potest facere abortum ob defensionem suæ vitæ.

15 Quamuis leges ciuiles permittant homicidium adulteræ repertæ in flagrãti crimine à viro, vel à parte respectu filiæ; tamen hi peccant occidendo: quia occisio ob delictum est actus vindictæ, quæ nõ potest fieri, nisi auctoritate publica. Vnde adulter potest se defendere, quia ille est iniustus aggressor.

16 Similiter quamuis non sit excommunicatus, qui subita iracundia occidit Clericum repertum in flagranti peccatem cum matre, filia, vxore, vel sorore, non tamen excusatur à peccato homicidij, propter causam prædictam. *Bonac. de cens. d. sput. 2. q. 4. pu: 4. num. 5.* Similiter ministri iustitiæ, quando occidunt Clericum damnatum, & traditum brachio sæculari, si admiscant in hoc

pri-

priuatum odium in ipsum, licet non sit excommunicati, nec peccent contra iustitiam; peccant tamen contra Charitatẽ. *Suar. de censuris disp. 39 sect. . n. 7. &c.*

17 Possunt Christiani in triremibus Turcarum remigare, quando aliter subesset periculum vitæ propriæ, aut magni mali, dummodo id non faciant animo nocendi Christianis: quia illa actio ex se est indifferens, & euentus belli sunt incerti *Less. l. 2. de iust. cap. 9. dub. 17.* Similiter potest fœmina grauida sumere medicamenta necessaria ad tuendam vitam, ordinata ad salutem ipsius, licet per accidens sequatur abortus, non tamen per se ordinata ad abortum. At si mors matris esset necessaria ad certam salutem spiritualem fœtus animati, alioqui damnandi; deberet pati mortem potius mater, non sumendo talia medicamenta propter salutem spiritualem prolis. Sed id rarò continget, & difficilè certò præuideri potest.

De Odio.

18 HOc etiã præcepto prohibetur nõ solùm actus exterior occi-

dendi, sed etiam actus purè interiores. Quare si quis desideret iniustum alterius homicidium, aut vulnerationē, &c. peccat iuxta quantitatem mali desiderati; & similiter, si delectetur in apprehensione talis mali. Et est peccatum duplex, contra iustitiam, & Charitatem proximi. Poterit tamen esse veniale, si fit ex imperfecta deliberatione, aut leui materia.

49 Si quis velit malum aliquod proximi, etiam si tale malum non sit contra iustitiam: vt si desideret mortem temporalem naturalem ipsius, aut morbum, aut amissionem bonorū, filiorum, vxoris, &c. si id faciat ex odio, quia scilicet displicet ipsi talis persona: aut ex ira, quia vult vindictam ex illo sumere: aut ex inuidia, quia bona illius apprehenduntur, vt diminuētia bona propria; peccatum erit contra Charitatem, iuxta quantitatem materiæ, & perfectæ deliberationis, vt paulò ante dictum est. Et idem dicendum est, cùm quis verbo imprecatur alteri malum. At verò desiderare malum temporale alteri, propter maius eius bonum, siue temporale, siue spiri-

spirituale; licet, Similiter desiderare mala temporalia, & mortem inimicis Fidei, aut iniustis hostibus Reipublicæ; licet, propter bonum publicum: quia sunt iniusti aggressores, & persecutores. Item complacere sibi in aliquo bono, consequenter ad malũ alterius; potest esse licitũ; vt cùm quis complacet sibi de hæreditate consecuta ob mortẽ patris, vel fratris, nõ tamen de eorum morte. Item complacere sibi de malo alterius, quia iustè illi fuit illatum, aut quia hæc fuit voluntas Dei; non est peccatum: sicuti odio habere malitiam, & vitia, & peccata alterius, non autem personam, non est malum. De odio lege *Filliuc tom. 2. tr. 28. c. 8. Bonac tom. 2. disp 3. q. 4. qu. vlt. Suar. de Fide tract. 3. disp. 6. sect. 2.*

De Scandalo.

10 AD hoc etiam præceptum reduci potest homicidium spirituale proximi: quando scilicet aliquis, vel verbo, vel facto inducit aliũ ad peccandum: in quo consistit peccatum scãdali: est enim scandalum occasio ruinæ

spiritualis proximi. Hoc autem dividitur in scandalum actiuum, & passiuum: actiuum iterum potest esse duplex: alterum per se intentum, alterum non per se intentum. Primum est, cum quis facto, vel verbo inducit aliquem ad peccandum directè, & per se: alterum est, cùm quis aliquid facit, vel dicit sibi alioqui prohibitum, aduertēs, quòd alius ex hoc occasionem habebit peccandi, sed non facit ad hunc finem vt ille peccet, sed ad alium finem. Et vtrumque scandalum actiuum, regulariter, est peccatum mortale, si materia sit grauis, & perfecta aduertentia, & deliberatio, & est contra Charitatem proximi. Scandalum passiuum est, cùm quis, præter rationem, & ex sua malitia sumit occasionem peccandi ex opere alterius, alioqui licito, & honesto: aut, si opus est illicitum, tamen non habet sufficientem connexionem ex se cum scandalo alterius, verbi gratia, si quis ægrotus comedat carnes die Veneris: etiam si in hoc excederet aliquantulum regulas temperantiæ, & alius ex hoc sumeret occasionem comedendi carnes ex sua malè

malitia. Item si mulier decenter ornata eat ad Sacrum, & alius ex hoc sumat occasionem peccandi, & desiderandi illam, &c.

21 Circa scandalum merè passiuum hæc sunt obseruanda. Primum, si opus meum alioqui est mihi licitum, & honestum, & ego non possum illo priuari sine meo incommodo, aut præiudicio, aut aliqua difficultate alicuius momenti; non teneor ab illo abstinere, licet sequatur scandalum alterius: sed hoc eius peccatum imputetur malitiæ illius. Secundò, si ego sine vllo præiudicio, aut incommodo, & facilè possum à tali opere abstinere; teneor regulariter ex Charitate abstinere ad impediendum proximi peccatum.

22 Quando aliquis ex alterius peccato potius excitatur ad odium illius peccati propter turpitudinem, quam videt in illo; non est peccatum scandali. Agunt de scandalo *Filliuc. tom. 2. tr. 28. cap. 10. Suar. de Fide tract. 3. disput. 10. initio. Vasq. opusc. de scand. S. Tho. 2. 2. q. 43.*

De Adulatione.

23 SCandalo adiungi potest Adulatio, quæ sæpe solet alios, & præsertim Principes excitare ad peccandū, vel confirmare in peccato. Est autem adulatio, cùm quis excedit modum in laudibus alterius, propter illius oblectationem: maximè si id faciat spe alicuius lucri proprij: in quo excessu regulariter est peccatum veniale. Potest autem esse mortale: 1. si laus consistat in peccato mortali alterius ratione peccati. 2. si adulatio ordinatur ad graue damnum corporale, vel spirituale laudati. 3. si est causa peccati mortalis illius, & hoc præuideatur ab adulatore, vt dictum est est de scandalo. *S. Thom. 2.2. q 115. art. 1. & 2. Less. lib. 2. de iust. cap. 47. dub. 1. num. 52.*

24 Huic vitio aliud est oppositum, nempe morositas, asperitas, seu litigiū: cùm scilicet aliqui in conuersatione non curant placere, sed nimium sunt difficiles, & contradictores, nec se accommodant, cùm oportet: & hoc etiam regulariter est veniale. Posset autem

tem esse mortale, si ex aliquo graui odio procederet in contemptum, & graue damnum proximi: vel ob impugnandam veritatem in re graui, aut quid simile. S. Thom. ibidem quæst. 116.

De Eleemosyna, & fraterna Correctione.

25 NOn solùm tenetur homo non odisse, nec inferre malũ proximo; sed etiam amare, & velle bonum, tam in rebus temporalibus, quod fit per eleemosynam, quam in spiritualibus per fraternam correctionem, & instructionem. Et quidem, quoad eleemosynam, ea, facienda est ex superfluis. Superflua autem sunt duplicis rationis: alia dicuntur superflua vitæ, vel naturæ: vt sunt illa, quæ, demptis ijs, quæ alicui sunt necessaria ad vitam sustentandam, siue propriam, siue suæ familiæ; adhuc tamen supersunt. Alia dicuntur superflua statui: & sunt ea, quæ, demptis ijs, quæ sunt necessaria, non solùm ad vitam sustinendam, sed etiam ad condecentem statum, iuxta conditionem

personæ, Prudentis arbitrio; adhuc tamen superſunt.

26 Si ergo proximus ſit in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate ad vitam conſeruandam; tenetur ſub mortali illi quiuis ſubuenire, ſi habeat ſuperflua vitæ, id eſt ex ſuperfluis vitæ, & naturæ, & probabiliter putet, neminem alium illi ſubuenturum: etiamſi non habeat ſuperflua ſtatui: hoc enim exigit lex Charitatis ſecundùm omnes.

27 Si proximus ſit in graui neceſſitate tenetur ſub mortali illi ſubuenire, qui habet ſuperflua ſtatui, ſi nō ſit alius, qui ſubueniat. Hoc enim etiam exigit lex Charitatis; præſertim quia ſi nemo ſubueniret, facilè grauis neceſſitas tranſiret in extremam.

28 Probabile etiam eſt in communibus proximorum neceſſitatibus, quales eſſe ſolent in ordinarijs pauperibus; diuites, qui habent ſuperflua etiā ſtatui, teneri ſub mortali, ad aliquam eleëmoſynam elargiendam, indeterminatè tamen, cui, vel quibus voluerint, & ijs tēporibus, quibus magis illis placuerit: nā alioqui hæc etiā neceſſitas facilè tranſi-

ret

ret in grauem & in extremam. Plura de hac re *S. Thom. 2. 2. q. 32. Caiet. & Vasq. in opusc. de elem. Filliuc. tom. 2 tract. 28. cap. 3. Suar de Charit. disp. 7.*

29 Subuenitur præterea indigentiæ spirituali proximi per fraternã, & secretam correctionem: quæ consistit in suaui, & discreta admonitione ipsius, vel vt non peccet, si est in periculo peccandi, vel vt à peccato resipiscat: & tota ordinatur in bonum ipsius proximi. Et quidem ex se hoc præceptum correctionis obligat sub mortali, si sit in materia graui, nempe si agatur de peccato mortali proximi corrigendi, & non emendati. Requiruntur autem hæ conditiones. 1. vt certam notitiam quis habeat de peccato proximi. 2. vt ex correctione speretur probabiliter fructus, & emendatio, saltem ad tempus. 3. si probabiliter iudicem, proximum indigere mea correctione ad emendationem. 4. si sit debitus locus, & tempus, & adsint aliæ circumstantiæ, quæ videtur necessariæ ad finem correctionis. Ex quarum conditionum defectu, facile est passim excusari homines à peccato mortali

ex defectu correctionis: maximè in casibus repentinis, & ad personas ignotas. Plura S. *Thom.* 2. 2. *quæst.* 33. *Suar. de Charit. disput.* 8. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 228. *Filliuc tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 5. Vbi etiam agitur de Superioribus, quomodo teneantur ad subditorum correctionem.

DE VI. PRÆCEPTO Decalogi.

Non fornicandi.

22 HOc præcepto prohibetur omne peccatum contra castitatem, quæ est pars temperantiæ, & dicitur peccatum luxuriæ: Cuius septem species communiter numerari solent: Simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incæstus, raptus, sacrilegium, peccatum contra naturam. De quibus aliqua dicemus necessaria ad confessionem.

Simplex Fornicatio.

22 SImplex fornicatio est illicitus cõcubitus, soluti cum soluta non Vir-

Virgine, in vase naturali. Dicitur solutus, & soluta, id est non coniuncti Matrimonio, siue rato, siue consummato: & est peccatum mortale, etiam solitariè acceptum, dummodo liberè fiat: & potest ob circumstantiam aliquam adiunctam, habere etiam malitiam alterius speciei: vt si fiat ab habente votum castitatis, vt infra. Hoc peccatum si non sit habituale, & continuum; retinet prædictum nomen: si verò sit habituale & frequens, si cum vna tantùm, quam fornicator, vel domi retineat, vel in aliquo alio loco determinato; dicitur concubinatus. Si cum pluribus indeterminatè; potest dici fornicatio, vel concubinatus vagus. Concubinarius accedens ad confessionem non est absoluendus, nisi relinquat, & eijciat concubinam, & ostendat vera signa pœnitentiæ. Quòd si sæpius id fecerit, & tamen rursus redijsset; est vlterius probandus ad tempus per suspensionem absolutionis, & alias pœnitentias iudicio prudentis Confessarij.

3. Quamuis tactus impudici, aspectus, oscula, & verba obscœna, quæ con-

currere solent in actu fornicationis, vel paulò ante, vel post, sint peccata mortalia; non sunt tamen necessariò exprimenda in confessione: sed satis est confiteri actum principalem: hæc enim integrant vnum peccatum cum illo, & facilè subintelliguntur: nisi fortè aliquid ex his mutaret speciẽ peccati: aut si multo tempore ante præcessissent, vel subsequerentur, ita vt moraliter non censerentur facere vnum cum actu fornicario. Idem dicendum est de voluntate fornicandi, si præcessit ita fornicationem, vt non faciat vnum cum illa. v. g. si fuit interrupta per contrariam voluntatem tacitam, vel expressam, aut per desuetudinem, vel obliuionem, & quoties fuerit interrupta. Quòd si non fuerit interrupta; etiam si longo tempore durauerit, non est, nisi vnicum peccatum. Et idem dicendum est in alijs materijs.

4 Potest meretrix accipere, & retinere iustum lucrũ pro sui corporis prostitutione. Quòd si fuerit excessiuũ, attenta qualitate personæ; non potest; neque fornicator tenetur dare: neque po-

test

test meretrix accipere pecuniam ab eo, qui non potest illam dare. Si meretrix accedat ad confessionem, est probanda, vt diximus de concubinario. Si fornicator prouocauit mulierem, alioqui non paratam, & nolentem peccare; tenetur dicere in confessione hoc peccatum scandali: quod etiam commune est alijs peccatis. Agunt de simplici fornicatione *Filliuc. to. 2. tr. 30. c. 2. Tolet. l. 5. c. 10.*

Stuprum.

5 STuprum est puellæ virginis defloratio per fractionem clausuri virginalis. Aliqui putant, hoc peccatum non differre specie à simplici fornicatione, si puella consentiat non inuita, & non sit alia circumstantia, mutans speciem. Alij putant differre propter fractionem signaculi virginalis, & graue nocumentum puellæ. Et vtraque opinio est probabilis.

6 Si quis promittit siue cum iuramẽto, siue absque illo, se ducturum in vxorem puellã, quam deflorauit; tenetur illam ducere: nisi sit magnus excessus, & dispa-

dispariras inter personas: vnde è graue aliquod damnum timeatur ex tali Matrimonio. Nam in tali casu tenetur honestè illam dotare, maximè si ipsa ita velit. Si verò defloravit volentem liberè, & consentientem, & sine vlla promissione; non tenetur dotare: nisi fortè ex Charitate aliquando. *Nauar. in manu. cap.* 16. *num.* 18. *Tolet. lib.* 5. *cap.* 11. *Less. lib.* 2. *c.* 10. *dub* 3.

7 Amissio virginitatis ex parte viri non est stuprum, sed reducitur ad vnam ex alijs speciebus: vt ad mollitiem, vel fornicationem, vel adulterium, &c. Similiter puella, si peccet contra castitatem, extra fractionem signaculi virginalis; non est stuprum: sed similiter reducitur ad mollitiem. Et in vtroque casu non est circumstantia necessariò confitenda amissio virginatis, quantum ad virtutem in anima existentem. De stupro *Filliuc. lo. cit. cap.* 3. *Tolet. cap.* 11.

Adulterium.

8 ADulterium est contra castitatem, & iustitiam. Est autè coniugatii

iugati cum coniugata, vel coniugati cũ libera, vel liberi cum coniugata. Et in primo casu est aperienda in confessione circumstantia vtriusque coniugati: quia fit iniustitia duplex, & æquiualet duplici peccato. Sufficit ad hoc peccatum Matrimonium ratum, siue adulteri, siue adulteræ, etiamsi non sit consummatum. Non tamen sufficiunt sponsalia: licet aliqui, non improbabiliter, putent habere rem cum sponsa alterius, esse circumstantiam aperiendam in confessione: quia aliqua iniuria infertur sponso, & valde deterioratur conditio sponsæ. Aliqui putant contrarium.

9 Adulter amittit ius petendi debitum ex iustitia: (ita vt alter non teneatur reddere,) non tamen reddendi: & similiter adultera. Maritus adulteræ, si nõ consensit adulterio; potest diuortium ab illa facere, quoad thorum, & habitationem: & potest illam intra Monasterium includere per Iudicis sententiam: potest etiam remittere culpam.

10 Mulier adultera non tenetur manifestare suum peccatum cum periculo vitæ, aut grauis infamiæ, ne noceat veris.

ris filijs, nisi declaret filium spurium: sed debet resarcire damnum aliorum filiorum, quantùm potest, alijs vijs. Et similiter etiam ipse adulter: maximè, quia nec maritus, nec filius tenentur illi credere, ordinariè loquendo. Quòd si posset sine tali periculo, & spem habeat, quòd credatur; tenetur. Agunt de adulterio *Fillinc. to. cit. cap. 4 Tol. cap. 1.*

Incæstus.

11 INcæstus est ordinatus concubitus, & copula cũ consanguinea, vel affine, vsque ad quartum gradum inclusiuè: si verò affinitas sit ex copula illicita: vsque ad secundum gradum: si tamen cognatio sit ex Sacramento; vsque ad illum gradum, in quo prohibetur Matrimonium, vt dictum est supra.

12 Probabile est incœstus cum consanguineis esse diuersæ speciei ab incœstibus cũ affinibus, & alijs: at verò ipsos incœstus cum consanguineis; probabile est, differre specie inter se in primo, & in secundo gradu, & similiter cum affinibus in primo, & secundo gradu. Incœstuo-

cœstuosus cum consanguinea coniugis, non potest petere debitum propter contractam affinitatem cum sua vxore. Dispensatio ad petendum debitum habetur ab Episcopo, aut habente priuilegium. Incœstus non est propriè, si copula sit non in vase naturali: similiter si peccatum committatur cum consanguineis, vel affinibus maribus: & licet nō sit propriè incœstus, sed peccatum contra naturā, cùm tamen sit latè incœstuosus concubitus; non solum dicendum est in confessione, habui rem contra naturam cum consanguineis, vel affinibus maribus, vel fœminis: sed explicandus est primus, & secundus gradus, iuxta probabiliorem sententiam. Lege *Azor. tom. 3. lib 3. cap. 9. & 15. Agunt de incœstu Filliuc. lo. cit. cap. 5. Tol. cap. 12.*

Raptus.

13 RAptus est, cùm quis abducit fœminam à domo parentum, vel eorum, in quorum cura est, aut à domo propria, si sui iuris sit, ipsa inuita, aut inuitis ijs, sub quorum cura est, ad for-

fornicandum cum illa, aut ad Matrimonium contrahendũ. Et; quantùm ad speciem luxuriæ, coincidit cum alijs, iuxta conditionem puellæ, aut ipsius raptoris, sed additur circumstantia violentiæ cõtra iustitiam. Quomodo autem raptus dirimat Matrimonium; dictũ est supra. Est etiam raptus, si quis rapiat sponsam suam inuitam, etiam post contractum Matrimonium, & non consummatum, si sponsa velit vti Priuilegio Canonis, de quo supra. Agunt de raptu *Filliuc. loc. cit. cap.* 6. *Tolet. loc. cit. cap.* 12.

Sacrilegium.

14 SAcrilegium, est, cùm peccatum committitur cum fœmina voto castitatis adstricta, vel in loco sacro, aut ab homine habente votum castitatis, aut a Religioso. Si quis cum sua vxore detineretur longo tempore in loco sacro; posset ibi exercere actum coniugalem, ad vitandam incontinentiam, absque peccato, neque pollueretur Ecclesia. *Filliuc cap.* 7. *Tolet. cap.* 18.

Pec-

Peccatum contra naturam.

PEccatum contra naturam est, in re nostra, omnis actus libidinosus extra vas, aut modum à natura institutum. Et eius species sunt quatuor: mollities, inordinatus concubitus, sodomia, bestialitas. Prima est voluntaria seminis effusio extra omne vas: & potest etiam habere speciem alterius libidinis, si quis in actu illo turpi cogitet, & delectetur de aliquo alio actu, cum animo illud perpetrandi, si posset, aut ac si de facto perpetraret, iuxta speciem talis actus. Inordinatus concubitus esse potest, vel in copula licita, vel in illicita, & consistit in modo non ordinario: & potest esse peccatum mortale, si fiat cum periculo impediendi prolem: sin minus, erit veniale: & si adsit sufficiens necessitas absque periculo, nullum erit peccatum in copula licita. Sodomia propriè, & strictè est actus libidinosus consummatus inter masculos in vase non naturali: largè verò est etiam cum fœmina in vase item nõ naturali; vel etiam inordinatus concubitus, & coitus fœminæ

cum

cum fœmina. Bestialitas est coitus hominis cum bestia: & probabile est differre speciei, si sit cum fœmina, aut mare: & ad hanc speciem reducitur coitus cum dæmone succubo, vel incubo: quia corpus assumptum à dæmone non est verè corpus humanum. Lege *Filliuc. tom. 2 tr. 30. c. 8. Bonac de Matrim. q 4. p. 10. & seq. Azor. lo. cit. Tolet. c. 13.* Potest etiam coniungi cum hoc aliud peccatum iuxta internum affectum peccantis cum dæmone. *Filliuc. lo. cit. n. 161.*

16 Pollutio nocturna, aut cum homo non habet plenam libertatem, & deliberationem, non est peccatum ex se, nisi fuerit procurata, aut volita in causa ad illum effectum ordinata: aut postea successerit voluntaria delectatio circa illam. Si verò accidat alicui interdiu tanti operam rei licitæ, vt audiendis cõfessionibus, & similibus, aut omnino præter, aut contra voluntatem ipsius, & citra consensum in delectationem; non erit mortale, & interdum etiam nullum peccatum. Probabile est aperiendam esse circumstantiam, si quis hoc peccato contra naturam, seu mollitiei peccet cũ con-

consanguineis, vel affinibus in primo, & secundo gradu.

17 Non solùm hoc præcepto prohibentur actus prædicti, sed etiam omnia alia, quæ ad tales actus illicitos ordinantur: vt tactus, oscula, amplexus libidinosi, aspectus, nutus, verba &c. neq; in his datur paruitas materiæ, si ex animo libidinoso procedant. Sunt tamen hi actus liciti inter coniuges, quatenus ordinantur ad copulam, & non sit periculum effusionis seminis. De morosa delectione dicemus in nono præcepto. Similiter tactus, oscula, & amplexus non libidinosi, & citra periculum, sunt licita sponsis de futuro. *Tolet. lib. 8. cap. 14. Filliuc. cap.*

18 Verba turpia, & cantilenæ, & similia, si fiant ex animo libidinoso peccandi, sunt mortalia: si verò non tali animo fiant, sed ioco, aut scurilitate quadam, citra scandalum, & periculum alicuius grauis peccati; poterunt esse venialia; nisi sint ex se valde obscœna.

DE

DE VII. PRÆCEPTO Decalogi.

Non furandi.

Quid, & quotuplex sit Iustitia.

1 HOc præceptum, pertinet ad iustitiam seruandam circa bona temporalia, & externa. Est autem Iustitia triplex, Legalis, Distributiua, & Cõmutatiua. Definitur autem in communi Iustitia esse Constans voluntas ius suum vnicuique tribuendi. Legalis respicit ius communitatis, & consistit in perfecta legum obseruantia, propter bonum cõmune. De qua S. *Thom.* 1. 2. *q.* 68. Distributiua, & Commutatiua respiciunt ius particularium personarum; vndè dicuntur iustitiæ particulares. Distributiua consistit in distributione bonorum cõmunium facienda à Principe, vel Communitate Ciuibus, secundùm proportionem meritorum, aut dignitatum, &c. Commutatiua verò, quæ est perfectissima Iustitia, respicit iura particularia Ci-

Ciuium in sua bona, per quam vnusquisque vult ius alterius seruare illæsum, & si læsum fuerit resarcire : & hæc primò versatur circa mutua hominum commercia in bonis proprijs vniuscuiusque. Et de his *S. Thom. ibid. quæst. 61.*

De Contractibus.

2 HÆc Iustitia, & eius opposita Iniustitia solet vt plurimum versari circa humanos Contractus. Est autem cõtractus latissimè aliqua actio, seu conuentio inter duos, vel plures ad aliquid faciendum, siue ex ea sequatur obligatio, siue non. Si autẽ sequatur mutua obligatio, erit propriè, & strictè contractus: si verò vnius tantum obligatio sequatur; erit contractus minus strictè, & ferè coincidit cum pacto. Sic ergo contractus propriè est conuentio, seu pactũ inter plures, obligationem saltem in altero pariens.

3 Ad perfectionem contractus requiritur interior cõsensus aliquo signo externo significatus. Potest autem primò significari re ipsa, seu traditione rei: vt

depositum, commodatum, mutuum &c. & sic dicitur perfici consensu, & re. Potest etiam perfici scriptura, præsertim per Notarium: vel verbis determinatis, per certam verborum formam, quæ dici solet Stipulatio, vel sine certa verborum forma, sed quacumq; sufficiēti ad exprimendum internum consensum: & sic dicitur vniuersaliter contractus perfici cō. sensu, scriptura, verbis, & re ipsa, iuxta contractuum diuersitatem.

4 Contractus alij sunt nominati, vt mutuum, commodatum, emptio, venditio, & similes, qui propriū nomen habere solent. Alij dicuntur innominati, qui carent proprio nomine, & solent explicari illis verbis, do vt des: facio, vt facias: do vt facias: facio, vt des, De quibus, & alijs diuisionibus, plura *Filliuc. tom. 2. tract. 33. initio. Less. de iust. lib. 2. cap. 27.*

5 Contractus, si habeat omnia requisita ad sui validitatem, & sit inter personas habiles ad contrahēdum; parit obligationem in cōscientia: vndè ex eius læsione potest oriri obligatio ad restituēdum. Si autem obligatio solum esset ex

Cha-

Charitate, aut ex alia quauis honestate non pertinente ad iustitiam commutatiuam; non obligaret ad restitutionem. *Filliuc. ibid. cap. 5. Less dub. 5.*

De Furto, & Rapina.

6 HOc ergo præcepto non furandi prohibetur omne iniustũ damnum, quod potest inferri proximo in bonis fortunæ. Duobus autem modis in vniuersum tale damnum inferri potest. Primò per simplicem damnificationem proximi, absque damnificantis vtilitate, aut augmento in bonis fortunæ: vt si quis incenderet vineas, diuueret domos, &c. nihil ex hoc sibi percipiendo. Secundò auferendo aliud ab alio, & sibi appropiando: in quo consistit furtum: & si fiat cum violentia, dicitur rapina.

7 Est ergo furtum ablatio alienæ rei, inuito domino. Quod debet intelligi, si talis ablatio fiat sine rationabili, & iusta causa: nam si aliquis auferat tẽpore extremæ necessitatis, aut ob tacitam compẽsionem in casibus, in quibus illa licet,

& similibus; non erit furtum. Probabile est furtum differre specie à rapina propter violentiam. Hoc peccatum est mortale, nisi excusetur propter parvitatem materiæ: & est peccatum contra iustitiam, quæ iubet reddi vnicuiq; quod suum est: & consistit non solum in iniusta acceptione, sed etiam in iniusta detentione rei alienæ.

8 Committitur etiam tale peccatum in humanis commercijs, præsertim in emptione, & venditione: si quis enim vendit rem cariùs, quàm valet, vel emit vilius, quàm valet; furatur aliquo modo illum excessum, aut defectum: pro quo sciendum est, quòd pretium rerum venalium est duplex: aliud naturale, aliud legale, seu legitimum: primum est, quod iudicio hominum versatorum in tali, vel tali materia imponitur: aliud est, quod ponitur à lege, vel Principe, &c. Primum non est indiuisibile, sed habet infimum, medium, & summum. Secundum consistit in indiuisibili: & quando res habet pretium legitimum; si sit iniustum, tenentur ciues vendere illo pretio, alioqui erunt rei furti, si illud excedant

dant. Quando verò non habent pretium legitimum, possunt vendere pretio naturali, etiam summo, citra iniustitiam, non autem supra summum, & rigorosum.

9 Pretium naturale rei potest variari mutatis circumstantijs, ita vt quod vno tempore erat summum, postea fiat infimum, vel è contra. Maximè autem facit ad hanc variationem copia, vel inopia emptorum, & rerum venalium: nam copia emp orum auget pretium, vt si sint multi emptores, & paucæ merces: & contra, si sint pauci emptores, & multæ merces minuitur pretiũ naturale. Merces autem, quæ dicuntur vltroneæ, vilescunt; quando scilicet ex defectu emptorum cogitur vendens quærere emptores, & vltro illis offerre suas merces: tunc enim emi possunt etiam infra pretium naturale pro tertia parte. v. g. res valebat quindecim, potest emi decem. *Bonac. tom. 2. tr. de restit. disp. 3 p. 4. Filliuc. tom 2 tr. 35. c. 3.*

10 Qui vendit res ad minutum, pretio legitimo, si in singulis venditionibus aliquid plus accipiat, non habens

animum id faciendi semper, aut ad multum tempus; peccat venialiter ex paruitate materiæ: si autem habeat animum id faciendi ad aliquam maiorem quantitatem, quæ sufficiat ad mortale; peccat mortaliter toties, quoties: si autem non habuit talem animum, sed de facto peruenit ad quantitatem sufficientem ad mortale, quam habet apud se; peccabit mortaliter retinendo, vel prosequendo: & idem dicendum est, si quis habeat animum furandi parua, sed frequenter, ita vt perueniat ad quantitatem notabilem.

11 Non potest aliquis, propter dilatam solutionem ad tempus, vendere rē supra iustum pretium rigorosum, per se loquendo. Potest mercator vendere rem suam summo pretio ad tempus, & statim eamdem emere à suo emptore vilioni pretio, intra latitudinem iusti pretij: dūmodo ille velit vendere, nec vllum pactum, aut violentia interceserit in prima venditione. Similiter in alijs contractibus potest intercedere iniustitia, & damnificatio, si non seruentur iustæ leges talium contractuum. De hoc con-

tractu

tractu venditionis legite *Filliuc. tom. 2. tr. 2. & tr. 35. par. 1. c. 1. Azor. to. 3 c. 8.*

De Restitutione.

12 EX damnificatione, vel furto &c. sequitur restitutio. Est autem redditio rei alienæ domino suo, aut ad quem spectat. Et ad hanc faciendam tenetur homo regulariter sub mortali, nisi sit paruitas materiæ, aut aliàs excusetur, vt infra.

13 Radices restitutionis, seu in quibus fundatur obligatio restituendi, possunt esse tres: nẽpe, vel ex re accepta, vel ex iniusta acceptione, vel ex contractu. De hac vltima nihil aliud est dicendũ, nisi quòd in soluendo, aut aliquid aliud faciendo, seruari debet qualitas, & natura contractus: si verò sit elapsum tempus, in quo ex contractu quis tenetur restituere, aut dare, & culpa sua non dat; iam incipit esse iniustus detentor: & sic tenetur etiam ex iniusta actione, seu detentione.

14 Ex re accepta tenetur ille, qui licet sine peccato rem habeat, seu bona

fide; tamen cùm cognouit, non esse suam, tenetur restituere: & sic dicitur possessor bonæ fidei, quia sine peccato possidebat rem alienam, putans esse suã, aut habens ius illam retinendi ad tempus. Ex iniusta acceptione, vel actione tenetur ille, qui cum peccato, & iniustè alienam rem habet, aut detinet, aut damnificat, & dicitur possessor malæ fidei. Inter hos est hæc differentia.

15 Possessor bonæ fidei pro illo tempore, quo fuit in tali possessione; non tenetur restituere, nisi rem, quæ extat: & si extant aliqui illius fructus naturales, aut misti; tenetur restituere, sublatis expensis, & laboribus, &c. Si non extant; tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Si nihil extat; ad nihil tenetur. At possessor malæ fidei tenetur restituere rem, & omnes fructus eius, subtractis expensis, siue extent, siue non extent: & præterea tenetur ad integrum damnum, quod ex illius iniusta actione alius passus est.

16 Fructus rei sunt in triplici differẽtia. Alij sunt merè naturales, vt partus pecorum: alij misti, vt fructus vineaꝝ; alij

alij merè industriales, vt lucrum ex ludo, partum ex aliena pecunia, & similia. Fructus merè industriales non sunt obnoxij restitutioni: sed naturales, & misti, subtractis expensis, &c.

17 Ex his intelligi potest solutio multorum casuum in particulari, circa restitutionem. v. g. aliquis habuit equũ bona fide a latrone, putans ipsum esse dominum, & illum detinuit per annum, & per illum lucratus est centum: postea rescivit equum fuisse furto ablatum, & etiam scit dominum illius; non tenetur nisi equum Domino restituere: & si consumpsit omnes fructus, & in nullo factus est ditior; ad nihil aliud tenetur: si verò extat aliqua pars fructuum, vel aliquid, in quo ex illis factus est ditior; tenetur ad illam partam, sublatis expensis, &c. Si verò emisset equum ex fure, maximè si id esset ignoranter; non teneretur reddere domino, sed posset reddere furi ad recuperandum pretium: quia satis est reponere rem in loco, in quo erat, nec tenetur reddere meliorem. Si autem fur non compareat, aut nolit pretium restituere, tunc tenetur reddere domino,

etiam cum amissione sui pretij: quia tenetur ex re accepta, quæ extat. Idem dicendum est in similibus.

18 E contra, si aliquis furetur equum alterius, cùm teneatur etiam ex iniusta acceptione; tenetur reddere equum, vel eius pretium, si equus mortuus fuerit, (nisi fortè eodem modo mortuus fuisset apud dominum,) & præterea resarcire damnum, quod passus est dominus eius, & reddere fructus perceptos, sublatis expensis, siue extent, siue non extent, & sic de similibus. Itaque semper in his casibus aduerti debet, ex qua radice oriatur restitutio, vt iuxta illius regulas fiat. Vbi aduertendum est, quòd contingere potest, vt aliquis teneatur ex re accepta vsque ad aliquod tempus: postea verò quia culpabiliter non restituit: teneatur ex iniusta detentione. Quare pro tempore sequenti obseruandæ erunt leges restitutionis ex iniusta actione.

De turpi lucro.

19 TVrpe lucrum non est necessariò restituendũ, nisi iniustè accipia-

cipiatur. Dicitur autẽ turpe lucrũ, quod habetur ex aliqua actione mala, aut peccaminosa: vt lucrũ meretricũ, dummodo sit proportionatum operi, quasi iustum pretium. Itaque si quis accipiat pecuniã ad occidendum hominem; & occidat; potest illam retinere, quia vẽdidit operam suã, licet malam: tenetur tamen ad damnum, quod intulit occiso. Tenetur etiam ante adimpletam conditionem rescindere contractum, pretio restituto, aut cum obligatione restituendi.

2o Iudex potest retinere pretiũ, quod recepit per ferẽda sententia iniusta: quia vẽdidit operam suam, licet malam. Tenetur verò ad restitutionem damni illati per sententiam iniustam. Non potest tamen retinere pretium pro ferẽda sentẽtia iusta, quia ex iustitia debebat talẽ sententiam ferre, & esse contentus suis rationibus, quæ illi obueniunt. Vndè si quis vendat id, quod ex iustitia aliàs tenetur facere, & gratis; malè vendit, & iniustè: & sic non potest facere pretium suum, & tenetur ex iniusta actione, nisi alius gratis remittat restitutionẽ. Agunt de Restitutione passim Doctores in ma-

teria de iustitia & iure. *Less lib. 2. cap. 7. disp. 4. &c. Azor. tom. 3. lib. 5. Filliuc. tom. 2. tract. 32. Tolet. lib. 5. c. 17. &c.*

De Mutuo, Commodato, Locato, & Deposito, & Pignore.

21 ORitur obligatio etiam ex Mutuo, Commodato, Locato, & Deposito, quæ differunt inter se: nã Mutuum est pecuniæ, vel alterius rei cum trãslatione dominij, ad tempus restituendæ in æquiualenti. Cõmodatum est, cùm conceditur alicui gratis ad tempus vsus alicuius rei sine translatione dominij. Locatum est, cùm conceditur vsus alicuius rei sine translatione dominij ad tẽpus, sed adhibito aliquo pretio. Depositũ est, cum traditur aliquid alteri custodiendum absq; vsu, siue cũ pretio, siue sine pretio. In mutuo, si res perit; perit mutuatario, tamquã domino: & in omni euentu tenetur ad restitutionem. In alijs semper res perit domino, & non est obligatio restituendi: nisi pereat culpa eius, cui data est res in depositum, (nisi sit depositarius ex publico officio, qui

qui teneatur in omni euentu,) vel commodatum, vel locatum. Et quidem, si culpa sit grauis, tenetur ad integrum damnum: si leuis, ad aliquid arbitrio prudentis viri: si nulla sit culpa, ad nihil. Culpa autem alia est Theologica, alia Ciuilis, seu Legalis. Prima est cum peccato, secunda etiam sine peccato: cùm scilicet in opere externo aliquid defuit ad debitam custodiam, etiamsi sine peccato id contigerit. Et quidem in foro conscientiæ ad restitutionem requiritur culpa theologica: at in foro externo culpa legalis.

22 Ex hoc sequitur, quòd si alicui eodem die fuerit data pecunia mutua, & commodatus liber, & statim per latrones hic fuerit spoliatus vtroque; tenetur ad restitutionem pecuniæ, non autem libri: quia pecuniæ erat dominus, non autem libri: res autem perit domino: & sic de similibus.

23 Si quis pecunia deposita ludat, & lucretur; non tenetur restituere lucrum: quia fuit fructus merè industrialis. Si quis vtatur deposito, aut locato ad alios fines, quàm fuerit datum à domino, &

res ea de cauſſa pereat ; tenetur ad reſtitutionem : quia exceſſit modum depoſiti , & locati: & ſimiliter , ſi fuerit deteriorata, Agunt de his cõtractibus *Azor. tom. 3. lib. 7. Filliuc. tom. 2. tract. 34. par. 1. c. 1. 8. & 10. & tract. 36. c. 1. &c. Tolet. lib. 5. cap. 30. &c. Bonac. to. 2. tract. de contr. diſp. 1: q. 3. pun. 9. & diſp. 3. q. 3. initio, & q. 13. & 15. & q. 7. initio.*

24 Ad commodatum reduci poteſt precarium: eſt enim precariũ illud, quod precibus petenti conceditur ad vſum tamdiu, quamdiu is, qui conceſſit, reuocauerit. Et quoad reſtitutionem ſequitur leges commodati : de quo *Filliuc. to. 2. tra. 34. c. 9. Azor. to. 3. lib. 7. c. 3.*

25 Huc etiã reuocatur Pignus, quod alicui datur ob ſecuritatem alicuius ſolutionis debitæ: habet enim quamdã rationem depoſiti in gratiam depoſitarij. Quòd ſi pereat culpa habentis pignus; eſt obligatio reſtituendi : ſi verò iniuſtè pignus retineatur , & pereat quocumque modo ; erit obligatio reſtituendi propter iniuſtam detentionem: niſi fortè etiam perijſſet , ſi fuiſſet reſtitutum domino. Huc etiam accedit hypotheca:

quæ est quoddam pignus immobile, vt ager, vinea, domus, &c. Agũt de pignore *Bonac. loc. cit. q.* 10. *Less. lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 5. *Azor. loc. cit. tit. de pignor. Filliuc. tom.* 2. *tract.* 38 *cap.* 9.

De Vsura.

26 SEquitur etiam restitutio ex vsura. Est autem vsura lucrum pretio æstimabile, per se seu principaliter proueniens ex mutuo. Nam natura mutui hæc est, vt nihil ex mutuo accipiat mutuans, sed gratis det mutuum: dicitur per se, seu, principaliter, quia ex alijs capitibus posset qui dat mutuum, aliquid ex illo habere vltra sortem: nempe propter damnum emergens, & lucrum cessans; non autem per se præcisè ex mutuo. Differunt autem damnum emergens, & lucrum cessans. Primum est, cùm ex mutuo, seu quauis donatione pecuniæ cogor subire aliquod damnum subsequens necessariò ad talem donationem: v.g. ego ex hac pecunia, quam do mutuam, volebam redimere bullã, propter quam soluo decem quouis anno,

anno, non redimo, & ita subeo ad damnum soluendi decem: quæ decem possum recipere à mutuatario propter hoc damnum emergens. Lucrum verò cessans est, quãdo ea pecunia ego eram negotiaturus, & lucraturus alia decem; eadem etiam potero recipere à mutuatario, si verè illud est lucrũ cessans, & non fictè, computatis etiam periculis, quæ solent esse in negotijs. Contractus vsurarius expressus est, cùm expresè ponitur lucrum vltra sortem, sine alio titulo, nisi mutui. Palliatus est, cùm ponitur alius titulus, sed reuera nullus talis titulus est, sed solius mutui.

27 Vsurarius, si sit occultus, non est absoluendus; nisi reipsa restituat, si habet, & ostendat vera signa cessationis ab vsuris. Si verò sit publicus; debet etiam satisfacere Ecclesiæ, & populo aliquo modo, præter restitutionem. Agunt de vsura *Azor. tom 3. cap. 5. tit de vsura. Filiuc. tom. 2. tract. 34. par. 2. Tolet. lib. 5. cap. 29. Less. lib. 2. cap. 2.*

De

De Gabellis, & quibusdam alijs Contractibus.

28 EX defraudatione gabellarum oritur obligatio restituendi, etiam in conscientia, si gabellæ sint iustæ, & fraudulenter non soluantur. Debent autem censeri iustæ à subditis, nisi euidenter constet de earum iniustitia. Qui verò fraudat gabellas; non tenetur ad solutionem pœnæ, nisi post sententiam Iudicis. Similiter ministri, qui assistunt ad portas vrbis, si permittant iniustè fraudari gabellas; tenentur ad restitutionem damni domino, nisi fraudator restituat, non autem ad restitutionem pœnæ. De gabellis agunt *Tolet. l. 5. à c. 17. Filliuc. to. 2. tr. 28. c. 7. Azor. to. 3. l. 5. à c. 18.*

29 Quando fit contractus societatis, debet aduerti, vt sors sociorum sit æqualis iudicio Prudentum, & æqualia pericula, si lucrum debet æqualiter diuidi: si verò sors vnius non est æqualis cum alio; debet in lucro diuidendo seruari proportio geometrica: ita vt sicuti se habet sors ad sortem, ita lucrum ad lucrum.

30 In

30 In Cambijs seruari debet, vt reuera mercator habeat correspondentem idoneum ad correspondēdum in alio loco, & litteræ re ipsa mittantur, & remittātur, & rationes, quæ debentur, sint ordinariæ: alioqui erit cambium siccū, & iniustum. Agunt de Cambijs *Azor. to. 3. l. 10. tit de cambijs Filliuc. to. 2. tr. 35. c. 4. & seq. Less. l. 2. c. 23. &c. Tolet. l. 5. c 50.*

31 In contractu, qui dicitur (alla meta, seu alla raccolta) aduerti debet, vti suo tempore non detur triticum, mercator non accipiat pro interesse summum pretium, quod eo anno fuit: sed vel pretium taxatum à lege, vel verum interesse quod passus est. Quòd si hoc sciri non possit; rationabile est, vt accipiat pretium medium inter infimum, & summum: & sic in alijs similibus contractibus.

32 Sunt etiam restituenda bona inuenta, quæ quidem habent dominum, sed ignoratur: & quidē domino suo restitui debent. Quòd si, præmissa sufficienti diligentia ad dominum inueniendum, ille non sit inuentus; dari debent pauperibus: & si inuentor ipse erit pau-

peri;

per; poterit sibi retinere, præsertim ex consilio Confessarij : si verò dominus inuentus fuerit ; potest inuentor non solum aliquid petere pro suo labore, & expensis, si fortè aliquid fuerint in re inuenta conseruanda, & quærendo domino; sed etiam potest aliquid accipere, & petere in præmium, absque metu tamen, violentia, aut fraude. *Azor. to. 3. lib. 4. cap. 27.*

De Circumstantijs Restitutionibus.

33 IN Restitutione seruandum est Tempus, Locus, Ordo, & Expensæ. Tempus est, cùm vrget præceptum restituendi, iuxta varias radices restitutionis, & circumstantias. Quòd si differatur sine præiudicio graui, aut damno domini; non erit mortale, ex paruitate materiæ.

34 De Loco nihil potest in genere dici, nisi quòd, quãdo homo tenetur solùm ex re accepta, & bona fide possessa; semper res determinanda est in fauorem ipsius, quantum fieri potest: è contra verò, si tenetur ex iniusta acceptione;

res

res determinanda est in fauorem domini: v. g. fuit mihi datus equus hic Romæ, quem bona fide possedi, & cum illo me transtuli Neapolim, & ibi maneo: si sciam equus esse alicuius commorantis Romæ; satis est si restituam illum Neapoli scribens domino, vt mittat ad illum recipiendum suis expensis: si verò mala fide habui equum; debeo illum remittere meis expensis Romam, vbi furatus sum: & si in via perit; adhuc teneor ad restitutionem pretij. Similiter quis furatus est pecuniam, debet illam restituere domino: ita vt ille in hac restitutione nullum patiatur nouum damnum, & nouas expensas, quas alioqui non fuisset facturus. Ex quibus varij casus particulares solui possunt.

35 De ordine id seruandum est: si debitor habeat, vndè omnibus creditoribus satisfacere possit; nullus est necessarius ordo in restituendo: quia nulli fit iniuria. Si autem non habeat; tunc priùs restituenda sunt certa, quàm incerta. Et in primis, si debita sint diuersæ rationis, ita vt in creditoribus sit anterioritas, & posterioritas; debet priùs satis

fieri

fieri anteriori, quàm posteriori; si verò debita sint eiusdem rationis, & non habeant anterioritatem; debet fieri solutio pro rata, iuxta geometricam proportionem, regulariter loquendo. Quem ordinem non tenetur scire ipse creditor: sed si bona fide solutum est illi debitum; potest retinere, etiam si alius non bene dispensauerit: qui potest sæpè excusari ex maiori diligentia alicuius creditoris, quia magis vrgeat, & maius damnum comminetur.

Causæ excusantes à restitutione.

36 POtest interdum aliquis excusari à restitutione propter impotentiam: quia non habet vndè restituat, subtractis ijs, quæ ad necessariam sui, & familiæ suæ sustentationem requiruntur. Semper tamen habet obligationem restituendi, cùm poterit: neque tenetur cadere de suo statu, nisi talem statum ex furtis, & iniustis acceptionibus acquisierit. Tenetur tamen intra suum statum tollere omnia superflua, & non necessaria: alioqui, non est tutus in conscientia.

37 Se-

37 Secundò potest aliquis excusarià restitutione propter remissionem liberam creditoris. Tertiò propter compensationem: quia scilicet aliunde ipse est creditor. Debet autem creditum ipsius esse certum, sicuti est certum debitum suum: nam si esset dubium; non posset nisi pro qualitate dubij. Debet autem tacita compẽsatio semper fieri cum cautela necessaria, ne alius bis patiatur detrimentum, putans se esse debitorem post compensationem: & regulariter debet fieri, quando alio modo non potest homo facilè suum recuperare, & ad vitandas longas lites, & inimicitias, & molestias.

38 Si quis iniustè, & per calumnias, & falsitates impediat aliquem, ne consequatur aliquod bonum ab alio; tenetur ad restitutionem damni, & peccat contra iustitiam, quia quilibet habet ius, vt non impediatur iniustè ad aliquid obtinendum, etiam si gratis illud obtinendum esset: si verò solùm per preces, & consilia non iniusta impeditur à gratuita boni alicuius consecutione; non est peccatum contra iustitiam, nec obligat

ad

ad restitutionem : etiam si possit esse peccatum contra Charitatem , si fiat ex odio alterius , aut cum graui damno sine caussa.

39 Quando plures tenentur in solidum restituere; sufficit, si quilibet restituat pro rata. quilibet tamen tenetur ad totum, si alij non restituant : licet habeat ius in alios, qui non restituerunt, vt quilibet soluat sibi pro rata.

40 Potest quis non teneri ad restitutionem ratione vsucapionis , seu præscriptionis. Est autem vsucapio, seu præscriptio acquisitio dominij per continuationem possessionis tempore à lege definito, & valet etiam in conscientia.

41 Requiritur regulariter ad legitimam præscriptionem. 1. continuata possessio rei præscribendæ nomine proprio possidentis. 2. bona fides possidentis. 3. vt sit capax ciuilis possessionis, qui præscribit. 4. vt res sit apta præscribi : nam res sacræ, & sanctæ, & iura spiritualia præscribi non possunt: & alia, de quibus legi potest *Azor. tom. 3. l. 1. cap. 20.* Demum requiritur lapsus temporis determinati secundùm leges , aut Canones:

de

de quo etiam idem Auctor *loco cit. cap.* 22. & 23.

DE VIII. PRÆCEPTO Decalogi.

Non dicendi falsum testimonium.

1 PRohibetur hoc præcepto omnis testificatio falsi, in præiudicium proximi. Quamuis enim esset etiam falsum testimonium, si quis testificaretur falsum in vtilitatem, & commodum, & honorem proximi; tamen hic accipitur in malum, & pertinet ad iniustitiam contra proximum, & oritur suo modo obligatio restituendi.

2 Mendacium in genere, est quædam testificatio, seu assertio falsi scienter, ad decipiendum proximum. Dixi, scienter, quia si quis dicat falsum, putans esse verum; non est mendacium: sicuti è contra, si quis dicat verum, putans esse falsum; est mendax ex praua voluntate. Solet autem diuidi in pernicioſum, iocoſum, & officioſum. Primum est in nocumentum alterius. Secundum ob delectatio-

lectationem. Tertium ob vtilitatem. Semper autem est peccatum, saltem veniale, licet possit esse mortale, præsertim pernicioſum, si adnexam habeat grauem aliquam malitiam. *S. Thom. 2. 2. quæst. 110.*

3 Si quis in iudicio testificetur falsum crimen proximi; peccat mortaliter: primò, peccato sacrilegij, si adhibuit iuramentum: secundò, peccato iniustitiæ, nisi excusetur paruitate materiæ, & tenetur ad restitutionem: non tamen cum maiori damno, quàm sit illud, quod patitur proximus ex falso testimonio: tenetur tamen cum æquali, aut minori: v. g. ex falso testimonio Pauli aliquis mittendus est ad triremes; tenetur Paulus cum periculo eiusdem pœnæ se retractare, non tamen cum periculo vitæ. Quòd si non retractat; peccat, & tenetur ad damna, quæ patitur ille in triremibus, & familia sua. Quòd si absq; Pauli testimonio, ille ad triremes missus fuisset; Paulus peccauit, sed non tenetur ad restitutionem: v. g. si fuit vltimus testis non necessarius. Quando verò multi testes concurrunt per modum vnius, &

non datur ordo inter illos; tunc omnes tenentur ad restitutionem, etiam si dimidia illorum pars satis fuisset ad condemnationem: non enim est maior ratio vnius, quàm alterius. Idem dicendum est de falso testimonio extra iudicium: tenetur enim talis ad restitutionem famæ, & aliorum damnorum, quæ sunt consecuta.

De Detractione, & Murmuratione.

4 HVc etiam pertinet peccatũ detractionis. Est enim detractio veluti quoddam priuatum testimonium criminis, & infamiæ alterius: & cõmittitur, cùm aliquis verbo dicit aliquid nociuum famæ alterius, siue falsum, siue occultum: nam, si sit publicum; non est detractio, nec contra iustitiam: licet possit esse contra Charitatem, si dicatur ex contemptu, & vilipendio proximi, & in materia graui, & ex aliquo interno odio personæ; & in vtroque casu criminis falsi, vel occulti tenetur ad restitutionem famæ, & damnorum.

5 Reuelare aliquod crimen occultum alicui prudenti viro, aut valde coniuncto, qui seruaturus sit secretum, ob aliquem bonum finem; aliqui putant non esse peccatum, saltem mortale: quod est probabile.

6 Murmuratio absque antecedenti detractione, tunc est, cùm aliquod factũ publicum, quod alioqui in bonam partem esset accipiendum, aut posset accipi; aliquis in malam partem accipit, calumniando personam cũ aliquo dispendio illius, & querelis, vel certè exaggerando vltra meritum aliquod factũ malum publicum. Eodem modo, & potest esse mortale, tum ratione sui, si materia, & res esset grauis, & persona publica, & calumnia grauis: tum ratione effectus, si grauis aliqua perturbatio sequeretur in proximis, & graue aliquod malum. Si autem delictum esset falsum, aut occultum; tunc simul esset detractio, si fingeretur, aut publicaretur, & murmuratio. Et circa hæc peccata aduertendum est non solùm peccare, qui loquuntur, sed etiam qui audiunt: si illi consentiant, & sibi complaceant in tali detra-

ctione, & præbeant ansam detrahendi, aut si sint causa detractionis. Agunt de Detractione, & Murmuratione *Tolet. l. c. 63. Less. lib. 2. c. 15. dub. 2. Azor. to. 3. l. 1 cap. 6. Filliuc. tom. 2. tr. 40. c. 3. & 4. Bonac. tom. 2. disp. 2. quæst. 4.*

De Iudicio Temerario.

7 HVc etiam spectat peccatum Iudicij temerarij: non enim solum prohibemur falsum crimen imponere proximo, sed neque temerè interius iudicare de illo. Hic autē hæc omnia possunt distingui: iudiciū, opinio, suspicio & dubium. Iudiciū in re nostra tunc est cùm aliquis certò affirmat, saltem materialiter, aliquod malum de proximo esse sufficientibus indicijs ad taliter iudicandum: & hic est perfectus actus in hac materia, & est peccatum mortale, nisi sit paruitas materiæ, aut imperfecta deliberatio, & inaduertentia.

8 Opinio temeraria est, cùm quis non iudicat certò malum de proximo, sed probabiliter adhærendo vni parti sine sufficientibus indicijs ad talem actum

hæsionem. Suspicio est leuis opinio, etiam sine sufficientibus indicijs, ad ita leuiter suspicandum. Dubium est duplex, aliud Positiuum, cùm scilicet aliquis actu positiuo dicit hanc, vel illam rem esse dubiam, & non adhæret alteri parti, & hoc etiam facit sine sufficientibus indicijs. Dubiũ Negatiuum est cùm quis suspendit iudicium, nihil positiuè affirmando, vel negando.

9 Vniuersaliter ergo ad temeritatem requiritur, vt indicia non sint sufficientia respectiuè ad eum actum intellectus, quem elicimus. Vnde potest esse, vt indicia, quæ non sunt sufficientia ad iudicium, sint sufficientia ad opinionem, aut suspicionem. Et præter iudicium, probabile est alios actus numeratos temerarios nõ esse peccata mortalia, propter imperfectionem actus: maximè si indicia non sint valde insufficientia. At in rebus Fidei dubitare positiuè, & deliberatè, & scienter; est hæresis. Agunt de Iudicio temerario *Bonac. loc. cit. q* 8. *Azor. tom.* 3. *lib.* 13. *c.* 11 *Less. lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 2. *Filliuc. to.* 2. *tr.* 40. *cap* 1.

De Iniurijs, & Contumelijs.

10 SImplici detractioni sæpè adiungitur conuicium, & contumelia in proximum: cùm scilicet falsum crimen, aut malum imponitur proximo per verba iniuriosa, procedētia ex interno aliquo odio, aut ira, aut inuidia in illum: Et tunc non solùm peccatur contra iustitiam; sed etiam peculiari modo contra Charitatem. Vndè si crimen sit publicum, erit peccatum solùm contra Charitatem, iuxta qualitatem materiæ, & personæ. Vbi aduertendum est, quòd licet interdum iniuriæ contineant falsa mala, aut crimina proximi; tamen non peccatur contra iustitiam, consideratis personis, & locis, & consuetudinibus prauis: quia solent talia dici, non quia vera sint, aut iudicentur ab alijs, vt vera, sed ex vsu: neque ex his sequitur infamia proximi, quia non datur illis fides, sed creduntur progredi ex aliquo malo animo, aut vsu, aut ex impetu quodam leuis etiam excandescentiæ, Et sic sæpè excusantur à mortali, saltem con-

contra iustitiam, rustici, & pueri, & milites, & similes, nec tenentur ad restitutionem, sæpè tamen peccatur contra Charitatem, iuxta dispositionem animi iniuriãtis. Qui sic grauiter alium offendit, tenetur illi reconciliari petendo veniam, aut ostendendo signa amicitiæ, aut quid simile, iudicio Prudentum. Agunt de contumelia, & alijs illi adnexis *Filliuc. loc. cit. c. 3. Azor. tom. 3. lib. 13. c. 5. Tol. l. 5. cap. 9.*

11 Superiores, si in aliqua iniuria excesserint, reprehendendo subditos; non tenentur petere veniam: sed alio modo reconciliari, ostendendo alia signa benëuolentiæ, &c.

DE VLTIMIS Duobus Præceptis Decalogi.

De Delectatione morosa.

1 HIs vltimis præceptis continetur prohibitio mali desiderij, siue circa bona alterius, siue circa

alienam mulierem, aut non suam. Et quidem quoad primum, desiderare rem alienam iniustè possidendam, est mortale, si adsit quantitas materiæ, & perfecta deliberatio. Et vniuersaliter illud ipsum, quod prohibetur præcepto de non furando; prohibetur etiam quoad interius desiderium iniustæ acceptionis, aut damnificationis. Vnde, si quis desideraret, vt bona aliena essent, aut fierent sua, modo tamen licito, & sine iniusto damno proximi, seclusis alijs extrinsecis quæ possent tale desiderium vitiare: vt si fieret ex odio personæ, aut inuidia, &c. non est peccatum, saltem graue, sed [illegible] vel otiosum desiderium, vel veniale.

2 Similiter dicendum est circa desiderium deliberatum alienæ mulieris, aut non suæ ad finem libidinis: quod potest contingere dupliciter. Primò in ordine ad opus: cùm quis desiderat mulierem ad peccandum reuera cum ipsa: & tunc peccatum reducitur ad eorum speciem, ad quam pertinet ipse actus, si fieret. Et idem dicendum est de alijs speciebus luxuriæ: & consequenter similia desideria, & delectationes differunt

runt ſpecie, ſicuti & actus. Aliquando conſummatur deſiderium in ſimplici complacentia illius obiecti mali, ſine ordine ad opus: & hæc dicitur propriè ſimplex delectatio moroſa: quæ quamuis poſſit eſſe in omni alia materia; maximè tamen pertinet ad materiam caſtitatis, quia hic ſolet eſſe cõmunior. Cùm ergo aliquis mente, & imaginatione apprehendit aliquam turpem, & inhoneſtam cogitationem, ſine ordine ad opus externum, & deliberatè delectatur in illa; eſt mortale. Et quidem probabile eſt eſſe vnius ſpeciei circa omnes fœminas: quia hic fit præciſio à conditione fœminæ, quòd ſit virgo, aut vxorata, &c. Differt tamen ſpecie, ſi ſit circa viros, ſeu beſtias, &c. Dicitur autem moroſa, quia eſt deliberata, & cum plena aduertentia, & talis ſolet diu durare: quamuis, etiamſi eſſet in inſtanti, eſſet mortale, ſi eſſet plenè deliberata.

3 Hic etiam aduertendum eſt, quòd interdum poteſt contingere, vt obiectũ turpe habeat aliquas circumſtantias, quæ, per ſe conſideratæ, non ſint turpes, aut etiam aliquo modo acceptæ non

sint turpes, vt modus aliquis, industria, inuentio, & similia: & tunc si quis præcisè delectaretur de illo obiecto, ratione tantùm harum rerum; non est mortale, & interdum nec veniale: quod maximè solet contingere in alijs materijs non contra castitatem.

4 Secundò etiam aduertendum est in genere de delectatione morosa, quòd obiectũ turpe potest se habere dupliciter. Primò esse turpe, seu malum, solùm, quia prohibitum aliqua lege positiua: vt venatio Clericis, ferre arma, ludere aliquo honesto lusu, & similia. Secundò potest esse prohibitum, quia malum ex se: vt furtum, & adulterium, & homicidium, &c. Et quidem delectari in his secundis obiectis est peccatum delectationis morosæ, modo dicto: & iuxta qualitatem, & quantitatem materiæ, est qualitas, & quantitas peccati: at verò delectari in primis obiectis, per se consideratis; non est mortale, nisi delectatio sit de ipsa re, in quantum prohibita: quod non solet facilè contingere. Vnde Clericus si delectetur de apprehensione, aut lectione alicuius vena-

venationis sibi prohibitæ, abstrahendo tamen à prohibitione; non peccat ex hoc capite delectationis morosæ. Et ratio huius est, quia in his casibus potest præscindere obiectum à turpitudine, non autem in primis. Vnde si quis de Veneris cogitaret de esu carnium præcisè, & delectaretur de tali cogitatione, non quidem in ordine ad dies prohibitos comedendi; non peccaret. Et sic de similibus. Agunt de morosa delectatione *Tolet. l. 9. c. 14 Azor to. 3. l. 2. c. 25. Less. l. 4. cap. 3. dub. 15. Filliuc. to. 2. tr. 30. c. 10.*

5 Hinc deducitur esse peccatum mortale legere libros inhonestos, & continentes res turpes, & malas. Primò, si quis legendo expertus sit se delectari de rebus turpibus tali delectatione morosa, quæ sit peccatum mortale. Secundò, si se exponat probabili periculo talis delectationis. Tertiò, si ex tali lectione aliquod aliud malum graue sequatur. Si verò legantur ij libri solùm propter linguam, aut artificiũ poëticum, aut inuẽtiones, & industrias, & fabulas ingeniosas, præscindendo ab omni periculo, aut turpitudine; nõ erit peccatum, saltẽ

mortale. Idem proportionaliter dicendum est de Comædijs, & alijs actionibus turpibus, & picturis. Agunt de Comædijs *Filliuc. tom. 2. tr. 30. c. 10. q. 4. & 6. Bonac. de Matrim. q. 4. p. 9. n. 11. Sanch. de Matrim. lib. 9. disp. 46. num. 41.*

Aliqua notanda circa prædicta Præcepta.

6 COntra supradicta præcepta non solum peccant ij, qui contra illa aliquid committunt, vt principales agẽtes, sed etiam multi alij. Et primo cooperatores. Vbi aduertendum est, quòd cooperatio ad actum malum, siue sit proxima, siue remota, potest esse duplex. Alia est, vel absolutè, vel saltem hic, & nunc per se ordinata ad malũ: & hæc regulariter est peccatum. Secunda est per se indifferens, sed vitio alterius fit, vt ad illam sequatur malum: & hæc regulariter excusat à peccato.

7 Ex his sequitur, quòd qui fert literas amatorias adulteri ad aliam, sciens illas continere res turpes; peccat ferendo: si verò nesciret, aut literæ essent indifferentes, non peccat. Item Caupones, qui

qui indiscriminatim diebus prohibitis offerunt carnes suis hospitibus. Item qui dat ensem furioso, sciens illum abusurum ense, & similes, peccant.

8 E contra verò nautæ, qui cymba ferunt hominem ex vna in aliam ciuitatem more sibi solito: etiam si ille in ea ciuitate sit aliquid mali operaturus. Ité qui fœminam portant in sella ex vna in aliam domum, exercentes officium suũ: etiam si dubitent, aut sciant illam in malum finem illuc ire, & similes, excusantur à peccato: quia eorum operationes ex se sunt indifferentes, licet malitia aliorum sequatur malum. Et hoc pacto multi famuli, & famulæ excusantur à peccatis in seruitijs exhibitis suis dominis, licet illi abutantur talibus seruitijs: in ijs scilicet operibus, quæ ex se sunt indifferentes, & exhiberi solent à famulis.

9 Excusatur etiam à peccato quicumque cooperatur alieno peccato ex tacito, vel expresso alicuius consensu, qui sufficiat ad excusandum talem cooperatorem à peccato: quòd si talis consensus non sufficeret; non excusabitur: v.g. si quis vellet furari pecuniam alteri, sed

non potest nisi prius illum occidat, & omnino illum occideret, nisi aliquis adiuuet illum ad furandum; potest alius sciens hanc eius voluntatem adiuuare ad furandum, ne occidat: quia, respectu huius adiutoris, talis ablatio pecuniæ non est inuito domino, sed maximè gratias illi aget, postquam resciuerit. Hoc autem intelligendum est, secluso scandalo, & periculo eius, qui adiuuat. Si autem aliquis iuuaret aliquem ad occidendum, etiam si fingeremus, quòd ille, qui occiditur, velit, vt iste adiuuet, vt citiùs occidatur; non propterea hic adiutor excusabitur à peccato: quia, cùm homo non sit dominus suæ vitæ; hic consensus occisi non sufficit ad faciendum, vt occisio etiam ex parte adiutoris, non sit peccatum. & sic de similibus.

10 Similiter peccat contra eadem præcepta, qui dat consilium ad peccandum. Vbi aduertendum est, quòd consilium potest esse absolutũ, vel conditionatum, siue explicitè, siue implicitè. Et quidem primum numquam licet: secundum aliquando licet, scilicet ad impedi-

endum

endum maius malum, quod quis paratus est facere: v.g. aliquis vult adulterari, licet consilium dare, vt fornicetur: posito enim, quòd omnino velit peccare; melius est, seu minus malum simplex fornicatio. Similiter, si quis velit alium occidere; licet illi consilium dare, vt eum nō occidat: sed aliqua minori iniuria afficiat, posito quod velit omnino aliquid mali illi facere. Et quamuis interdum in consilio non exprimatur conditio, quæ securiùs exprimi debet, nempe posito, quòd quis velit malè agere; tamen semper subintelligitur tacitè: & ita, qui dat consilium, non dat absolutè consilium ad malum.

11 Ex hoc ferè capite excusantur à peccato Principes, & Magistratus, & suo etiam modo Patres familias, qui permittunt suis subditis aliqua peccata ad vitanda maiora: cùm non possint facilè omnia prohibere, aut impedire efficaciter. Agunt de Cooperatoribus prædictis, ex varijs occasionibus *Azor. tom. 3. l. 2. c. 10. &c. & lib. 4. cap. 9. Less. tom. 2. tr. 32. c. 3.*

DE

DE DVELLO.

1 DVellum, de quo loquimur, est pugna duorum cum periculo mortis, aut vulnerationis grauis, ex aliquo illicito fine, & ex condicto assumpta siue id publicè, siue priuatim fiat. Differt à simplici rixa, quia hæc non fit ex condicto, sed ex subito aliquo casu. Dicitur, duorum, quia ita communiter fit inter duos: quamuis eadem esset ratio, si plures ex vna parte, & plures ex alia pugnarent ex condicto, propter priuatas inimicitias, aut dissentiones, designando locum, & tempus. Est autem duellum regulariter prohibitum, non solum iure naturæ; sed etiam Humano, & Ecclesiastico: & maximè ex Tridentino, & ex Bullis Pij IV. Gregor. XIII. & Clem. VIII. Imò additur pœna excommunicationis latæ sententiæ, & aliæ pœnæ.

2 Excommunicantur autem in Tridentino omnes Superiores temporales, concedentes locum ad duellum in suis terris. Secundò duellum committentes.

Ter-

Tertiò patrini, consulentes, suadentes, & spectatores: id est qui non casu sunt spectatores, sed ex consilio, tamquam socij, & comites, aut ex professo ad tale spectaculum accedentes. Hæc autem excommunicatio ex vi Concilij non est reseruata.

3 At verò ex decretis aliorum Pontificum, primò extenditur excommunicatio etiam ad duellum priuatum sine patrinis, & ad permittentes, & non prohibentes Principes, fauentes, & nō puniētes. Item ad fautores, adhærentes, portantes chartas duelli, subscribentes, affigentes, & publicantes, dictantes, componentes, mittentes, deferentes, diuulgantes, imprimentes, vel etiā solo verbo denunciantes, consilium, & fauorem præbentes. Et quidem hæc excommunicatio, quoad omnes has personas, est reseruata Papæ: potest tamē tolli ab habentibus casus Papales in genere. At verò in terminis bullæ Gregorij XIII. ita reseruatur Papæ; vt non possit tolli intra Italiam, extra Vrbem: nisi ex speciali facultate, sicuti in Regno Siciliæ per Bullam. De quibus plura *Filliuc. to.* 1. *tr.* 15.

tr 15. c. 1. n. 103. & to. 2. tr. 29. c. 8. & Sanch. l. 2. de præcep. c. 39. Præterea agunt de duello Azor. to. 3. lib. 1. c. 5. Suar. de Char. disp. 13. sect. vlt. Bulla autem est tenoris sequentis.

GREGORIVS EPISCOpus Seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam.

AD tollendum detestabilem duellorum vsum, Concilium Tridentinum excommunicationem, & alias grauissimas pœnas in concedentes locum ad monomachiam, ac pariter in pugnates, necnon patrinos, consulentes, suadentes, & spectatores salubriter quidem decreuit. Sed prauorum hominum malitia, facinorosi non desunt, qui, quod publicè prohibitum est, priuatim exequi non dubitent, dum se pœnas prædictas hoc modo eludere posse arbitrantur.

Nos ad hæc coercenda plenius, euidentiusque prouidendum esse rati; considerantesque duellum priuatum non minus cruentū, & animæ, & corpori noxium esse, quàm quod publicè perpetratur, auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monoma-

nomachiam commiserint: etiamsi nulli patrini, socijue ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nulleue prouocatoriæ literæ, aut denunciationis chartulæ præcesserint; censuris, & pœnis omnibus à dicto Concilio propositis teneri perinde, ac si publico, & consueto abusu singulare certamen iniuissent. Volentes etiam locorum Dominos, si certamen ex condicto huiusmodi permiserint, aut quantum in se fuerit non prohibuerint, omnesque illud fieri mandantes, instigantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatũ, & alia subsidia scienter subministrantes, aut ex composito spectatores, vel socios quouis modo se ipse præbentes, eisdem censuris, & pœnis subiacere: etiam si illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti, pugnam non commiserint: si per se ipsos non steterit, quo minus illa committatur. Hæc Gregorius.

4 Non censetur duellum, si duo existentes in Ecclesia aliquid controuersiæ habeant, & ob reuerentiam loci sacri dicant, egrediamur foras, & ibi pugnent. Similiter, si vnus videns inimicum suum armatum venire cõtra se, diuertat

ad

ad armandum se, & iterum reuertatur ad pugnam : & similia. Quia propriè hic non intercedit condictum, & conuentio in aliquem locum, vel tempus, &c. Alia legite apud Auctores citatos, & alios.

DE LVDO.

1 LVdus importat quemdam contractum, quo vincenti tribuitur id, quod depositum est ad hunc finem. Est autem triplex. Alius, in quo maximè dominatur casus, & fortuna, & dicitur lusus aleæ. Alius, in quo maximè dominatur ars, vel industria, aut ingenium, & [illegible]. Alius mixtus. Et quidem ex se præcisè ludus est indifferens : & quamuis fieret præcipuè ex intentione lucrádi; non esset mortale per se. Et quamuis primi generis ludi sint iure ciuili prohibiti, propter pericula, & mala, quæ ex illis sequi solent; tamen hæc prohibitio non obligat ex se præcisè sub mortali. Similiter iure canonico tales ludi sunt Clericis prohibiti. Sed quia tales leges non sunt in tanto rigore vsu receptæ; ideo aliqui excusant clericos à mortali, ex

ex vi præcisa legum : nisi aliquis esset publicus, & cum scandalo, & continuus aleator: Qua in re consulendus est vsus regionum. Quare ludus potest esse licitus, si fiat ex honesta aliqua caussa, & cum debitis requisitis.

2 Ea, quæ per ludum acquiruntur, non sunt obnoxia restitutioni, per se loquendo, nisi in sequentibus casibus. 1. si quis per fraudem vicisset, decipiendo colludentem contra leges ludi. 2. si lucretur pecuniam, vel alia bona, quæ non sint sub potestate perditoris, vt si esset Religiosus, vel filius familias, vel seruus, & luderet de bonis non suis: in quo casu, neque Religiosus, aut filius familias, &c. posset lucrari vincendo, & teneretur etiam ad restitutionem: est enim eadem conditio vtriusque in tali casu. 3. si per vim, & metum cogeret alium ludere. 4. si fingeret se habere pecuniam ad ludendum, quam non habet: & similibus casibus, in quibus intercedit aliqua iniustitia.

3 In multis verò alijs casibus potest esse peccatum ludere, etiam si non sit obligatio restituendi: & quidem vbi erit gra-

grauis materia, erit mortale: v.g. si quis ex ludo soleat in blasphemias prorumpere, vel in rixas, si fiat cũ notabili detrimento familiæ, si impediat alia opera necessaria ex præcepto, si fiat cum scandalo aliorum, vel cum detrimento notabili eius cum quo ludit, quia est pauper, & habet familiam, quæ facilè redigetur in magnam, vel extremam necessitatem, vel si alia similia mala sequantur ex ludo. Et quia cùm tales ludi, alearum præsertim, sunt frequentes, solent aliqua, vel multa ex his malis sequi; ideo, per loquendo, est graue peccatum exhibere domos, & mensas paratas omnibus ad ludendum, quod vulgo dici solet (tenere barattarie) quas difficillimum est posse iustificari, si publicæ, & communes sint.

4 Quando ludus est prohibitus: non tenetur victor restituere id, quod lucratus est ante sententiam Iudicis, si victus reclamet. Quòd si victor per vim, & fraudem impediat Iudicis sententiam; tenetur restituere. Item victus tenetur in foro conscientiæ soluere, nisi velit vti beneficio legis, & post sententiam Iudi-

cis

cis non soluere, nisi interceſſerit iuramentum de soluendo: tunc enim debet priùs absolui à iuramento. Qua etiam in re videndum est, an sint aliquæ leges particulares in hoc, vel illo regno.

5 Ludere cum imperitiori notabiliter, ita vt moraliter certus sit peritior de victoria; non licet, & est obligatio ad restituendum: nisi imperitia aliunde supleretur. Agunt de Ludo *Azor. to. 3. c. 24. & c. Filliue. to. 2. tr. 37. c. 5. Bonac. tom. 2. de contract. quæst. 3. par. 1.*

DE SIMONIA.

1 SImonia est voluntaria emptio, vel venditio, aut quouis modo commutatio rei sacræ, vel rei adnexæ rei sacræ, pro pretio temporali. Est autem hoc vitium contra Religionem: quia rei sacræ, & supernaturales indignè tractantur, si pretio temporali commutentur. Est etiam contra iustitiam, saltem in multis: vt cùm venditur id, quod alioqui ex iustitia debebatur gratis: vt si Parochus vendat confessionem, *&c.* Secundò, cùm res venditur pluris propter con-

consecrationem, vt calix: illud enim plus est contra iustitiam. Tertiò, cùm præcisè accipitur pretium propter spiritualitatem.

2 Sub nomine rei sacræ, præsertim comprehenduntur res supernaturales, spirituales: vt gratia sacramentorum, & eorum actus. Sub nomine rei adnexæ spirituali intelliguntur vasa sacra, vt vestes, & alia temporalia bona, quæ per accidens habent adnexã consecrationem: & hæc non possunt vendi ratione consecrationis adnexæ, licet possint vendi ratione materiæ ex se vendibilis. Item quando non potest vendi res temporalis, nisi simul vendatur res spiritualis, tunc non potest, & ipsa vendi.

3 Simonia triplex est. Realis, Mentalis, & Conuentionalis: ad quas reducitur Simonia Confidentialis, & Ficta. Realis est, cùm reipsa exhibetur pecunia pro re spirituali, quasi actu vendita, & tradita. Conuentionalis est, cùm conuenitur de pecunia, & venditione, sed adhuc non est secutus effectus. Mentalis est, non quidem nudum propositum committendi Simoniam, sed vera tradi-

tio

tio alicuius rei temporalis in pretiũ pro re spirituali, sed sine pacto, aut conuentione explicita, sed solùm mente concepta. Confidenrialis est simonia, quæ speciatim committitur in collationibus, aut resignationibus beneficiorum: cùm scilicet confertur beneficium cum confidentia, vel quòd resignandum sit alteri, vel collatori, vel eius fructus, aut aliqua pars. Et hæc simonia potest esse realis, conuentionalis, & mentalis. Ficta simonia est, cùm fictè fit conuentio, & non animo exequendi.

4 Pretium simoniacum, & illicitum rectè dicitur contineri illis tribus vocabulis, nempe, munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio. Per munus à manu intelligitur pecunia, aut quoduis bonum temporale pertinens ad bona fortunę. Per munus à lingua intelliguntur preces, laudes, adulationes, &c. quæ si accipiantur in pretium, & maximè si cum aliquo pacto præcedant; erit simonia conferre spirituale pro illis: sin minùs, non erit. Per munus ab obsequio, intelligitur omne seruitium temporale, quod exhiberi potest in gratiam

terius, & signa etiam honoris, &c. quæ sint loco pretij, & maximè si fiant ex pacto, erit simonia; si minus non erit.

5 Simonia alia est, & vt plurimùm contra ius diuinum naturale, alia contra ius canonicum, quando Ecclesia prohibet sumi pretium pro aliqaa functione, propter connexionem cum aliquare sacra, cum tamen illa functio ex se esset vendibilis. Vt in *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Refor.* prohibetur sub peccato simoniæ, si examinatores ad beneficia aliquid accipiãt pro examine, & similia præsertim in materia de beneficijs. Legi potest *Suar. de Simonia tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c.* 7. *& c.* 24.

6 Non est simonia accipere eleëmosynam ad sustentationem pro ministrandis Sacramentis, ratione laboris, & necessitatis.

7 Pœnæ illatæ in iure contra simoniacos non incurruntur regulariter, nisi propter simoniam realem. Et quidẽ per simoniam commissam in Ordinis receptione, in beneficio, & in ingressu Religionis; incurritur excommunica-

tio

tio maior, Papæ reseruata: & similiter suspensio ab Ordine, si simoniacè sit ordinatus. Agunt præterea de simonia *Filliuc. tom. 3. tract 45. Tolet. lib. 5. cap. 84.*

DE CENSVRIS, ET primò de Excommunicatione.

1 CEnsura est pœna Ecclesiastica spiritualis, priuans hominem his, vel illis bonis spiritualibus Ecclesiæ, Est autem triplex: Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum.

2 Excommunicatio est censura Ecclesiastica, priuans hominem baptizatū bonis communibus Ecclesiæ: omnibus, si sit excommunicatio maior: vel aliquibus, si sit excommunicatio minor.

3 Minor excommunicatio priuat solùm participatione passiua Sacramentorum, & electione passiua ad beneficiū: & incurritur solùm per participationem, seu communicationem prohibitam, & deliberatam cūm excommunicato excommunicatione maiori: non quidem quocumque, sed qui fuerit publicè denūciatus, vt talis: vel fuerit publicus percussor

cussor Clerici, ita vt nulla tergiuersatione cælari possit: etiam si talis communicatio fuerit solùm peccatum veniale.

4 Ex hoc sequitur, nunc excommunicatos excommunicatione maiori, esse duplicis generis: alij enim dicuntur non tolerati ab Ecclesia, & consequenter vitandi, & sunt duplicis classis prædictę: alij dicũtur tolerati, & sunt omnes alij, quomodocumque excommunicati, siue publici, siue priuati: cum quibus licet communicare ex parte nostri licet ipsi se gerere debeant tamquam excommunicatos.

5 Excõmunicatio maior priuat omnibus bonis communibus Ecclesiæ: participatione actiua, & passiua Sacramentorum, participatione communi suffragiorum, communicatione in diuinis Officijs, & sepultura Ecclesiastica, electione ad beneficia, iurisdictione Ecclesiastica in foro exteriori, communicatione forensi, & simili conuictu, vt continetur eo carmine.

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

6 Qua

6 Quæ Verba benè explicat *Filliuc. tom.1.tr.13. c.5.* Excommunicatio maior non contrahitur, nisi per peccatum mortale cum contumacia in Ecclesiam. Est autem hæc contumacia, cùm quis sciens aliquam rem esse prohibitam ab Ecclesia sub excommunicatione, nihilominus illam committit. Vnde ignorantia excommunicationis excusat in foro conscientiæ à contractione illius.

7 Excõmunicatio est etiam duplex: alia à iure, alia ab homine: illa continetur in iure, hæc fit per sententiam iudicis, aut præceptum Superioris: ad illam non requiritur monitio, nam ius est loco monitionis; ad hanc requiritur. Item alia est latæ sententiæ, alia ferendæ, quæ dicitur comminatoria: illa incurritur ipso facto, hæc non item, sed, supposito delicto, debet per Superiorem infligi. Non potest autem infligi propter peccatum merè præteritum, nisi fuerit prohibitum sub pœna excommunicationis ferendæ.

8 In aliquo casu necessitatis, siue temporalis, siue spiritualis, & ad correctionem excommunicati, licet cum illo

conuersari, etiamsi non sit toleratus: quod continetur hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Quæ etiam verba explicat idem *Filliuc. loc.cit.c.6.* Qui communicat cum aliquo excommunicato vitando, participans cum illo in crimine, propter quod est excommunicatus, confirmando illũ in sua contumacia, quod est participare in crimine criminoso; est similiter excommunicatus eadem excommunicatione maiori.

9 Communicare in diuinis Officijs publicis cum excommunicato vitando; regulariter est mortale: in humanis verò potest esse veniale, nisi adsit cõtemptus, & scandalum. In quibus verò casibus incurratur maior excommunicatio; pertinet ad omnes materias particulares, nec possunt ad pauca aliqua capita reduci: & similiter, quæ nam excommunicationes sint, aut non sint reseruatæ; legite Suarium de excommunicatione. Et fusissimè habentur in libello edito iussu Archiepiscopi Bononiensis, qui postea fuit Gregorius XV. cui titulus est,

est, Memoriale Clericorum: vbi etiam habetur Catalogus suspensionum: Nos breuitati consulimus.

10 Excommunicatio, si non est reseruata, potest à quolibet Confessario absolui; si verò est reseruata; absoluitur ab habente auctoritatem, siue ordinariâ, siue delegatâ respectiuè, aut beneficio Bullæ, aut Iubilei, aut per priuilegiũ.

11 Sacerdos excommunicatus, si celebrat, fit irregularis, si sit in maiori excõmunicatione, non autem si sit in minori: tunc enim solùm peccat communicando se. Agunt de excommunicatione *Suar. de cens. disp. 8. cum seq. Filliuc. loc. cit. Bonac. tom. 1. tr. de cens. disp. 2. Tolet. l. 1. à c. 4.*

DE SVSPENSIONE.

1 SVspensio est Ecclesiastica censura, per quam impeditur Clericis vsus Officij, aut beneficij Ecclesiastici. Quare duplex est: alia ab officio, alia à beneficio, vel certè ab vtroque. Differt autem suspensio à depositione, aut degradatione, quia hæ sunt ex se per-

petuæ, & irreuocabiles; illa, vel est ad tempus, vel certè remissibilis.

2 Suspensio ab officio est suspensio ab vsu potestatis spiritualis ad exercendum aliquem actum: siue Ordinis, & dicitur suspensio ab Ordine: siue Iurisdictionis, & dicitur suspensio Iurisdictione: & possunt hæ suspensiones separari, & coniungi. Itaque suspensus ab Ordine non potest ministrare in illo Ordine, in quo est suspensus, & si ministrat fit irregularis: suspensus verò à iurisdictione nō potest exercere illam iurisdictionem: non tamen fit irregularis, si exercet, nisi nisi in aliquo casu imponeretur etiam irregularitas.

3 Item suspensio à beneficio est duplex, aut ab omni, aut ab aliquo tantùm: & priuat vsu Iuris ad percipiendum tēporale emolumentum beneficij, vel in totum, vel in partem, iuxta qualitatem suspensionis. Et quidem, durante contumacia, non potest suspensus alijs fructibus beneficij: potest autem, si non adsit contumacia. Ex quibus verò peccatis oriatur suspensio, pertinet ad varias materias. Agunt de Suspensione *Suar. de cens.*

cens. disp. 25. Filliuc. tom. 1 tr. 17. Bonac. to. 1. de cens. disp. 3. Tolet. lib. 1. cap. 42.

DE INTERDICTO.

1 INterdictum est Ecclesiastica censura, priuans homines vsu quarumdam rerum diuinarum, quatenus vsus quidam est: quæ vltimæ particulæ addũtur, vt distinguatur ab excommunicatione, & suspensione: nam excommunicatio priuat vsu rerum diuinarum, vt in illo est quædam communicatio cum alijs: in suspensione verò priuatur homo aliquo vsu, vt illi competit ex officio, & beneficio: at in Interdicto priuatur illo vsu, vt sic.

2 Per interdictum, quod potest esse locale, & personale: locale, cùm interdicitur locus: personale, cùm persona: prohibetur vsus aliquorum Sacramentorum, vt Eucharistiæ, extra casum necessitatis, extremæ Vnctionis, & Ordinis: aliorum verò, respectu eorum, qui causam dedere interdicto.

3 Alius effectus est priuatio diuinorum Officiorum, scilicet publicè, & so-

lemniter, non autem priuatim, & ianuis clausis : item priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ.

4 Interdictum potest esse magis, & minus vniuersale : nempe vnius Ecclesiæ, vnius Parochiæ, vnius Vrbis, & vnius etiam Regni. Agunt de Interdicto *Tolet. l.* 1. *c.* 51. *Bonac. lo. cit. disp.* 5. *Filliuc. lo. cit. tr.* 18. *Suar. de cens. disp.* 32.

5 His additur cessatio à diuinis, quæ non est propriè censura, quia non infligitur præcipuè in pœnam, sed est pura prohibitio diuinorum, siue particularis, siue vniuersalis, imposita in signum afflictionis Ecclesiæ : cùm adhibitis omnibus alijs remedijs, nihil profecit: quare est veluti quædam viduitas, & luctus Ecclesiæ. De qua *Filliuc. loc. cit. cap.* 7. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 56. *Bonac. loc. cit. disp.* 6.

DE IRREGVLARITATE.

6 AGunt de Irregularitate *Suar. de Cens. disp.* 40. *Tolet. l.* 1. *c.* 57. *Filliuc. tom.* 1. *tract.* 19. *Bonac. tom.* 1. *de cens. disp.* 6. & alij. Ex quibus, ferè secundùm com-

communiorem doctrinam, hæc, quæ sequuntur sumpta sunt.

7 Irregularitas in re nostra solùm dicitur in ordine ad primam Tonsuram, & Ordines suscipiendos, vel in susceptis ministrandum: est enim irregularis ille, qui, præter communem aliorum regulam, est impeditus ad Ordines licitè, & dignè suscipiendos, vel in susceptis ministrandum, non autem in ordine ad reliqua Sacramenta. Potest accipi Irregularitas. Primò latè pro impedimento, & inhabilitate vndecumque proueniente in ordine ad prædicta: & sic fœmina, & non baptizatus, vel perpetuò amens dicuntur minùs propriè irregulares. Secundò potest sumi magis propriè, & de qua hic agendum: & sic describi potest: Est impedimentum solo iure canonico inductum, reddens hominem, secundùm regulas canonicas, inhabilem, seu indignum, & non idoneum, primò ad Ordinum susceptionem, secundò ad eorum vsum, iuxta varietatem Irregularitatum.

8 Dicitur impedimentum, vel inha-

bilitas: quia Irregularitas, etiam illa, quæ est ex delicto, & quæ aliquam habet materialiter rationem pœnæ; non est censura, vt sunt prædictæ: quia non infligitur vt pœna medicinalis ad resipiscendum, & ad emendationem, & correctionem, ad quæ ordinatur censura; sed ad ostendendam inhabilitatem, seu indecentiam, & indignitatem subiecti ad fines prędictos. Vnde sæpè est sine vlla culpa. Dicitur, Canonicum: quia nulla Irregularitas est ab homine, sed solum à iure. Vnde non incurritur nisi sit in iure expressa. Hinc fit, vt quando in Iubileis, & Bullis conceditur facultas absoluendi à censuris; non intelligatur Irregularitas, nisi peculiariter exprimeretur.

9 Si quis dubitet se esse Irregularem, siue sit dubium iuris, quia dubitatur an in iure sit talis Irregularitas: siue dubiũ facti, quia dubitatur an in seipso sit illud, cui adnexa est Irregularitas: si facto diligenti examine, & adhibita sufficienti inquisitione, quam omnino tenetur ille facere, si velit ad Ordines promoueri, &c. adhuc maneat dubius tũ in foro

foro externo, quàm in foro conscientiæ; potest ille se gerere tamquam non irregularem, veluti possessor bonæ fidei: excepto casu homicidij iniusti voluntarij: tunc enim etiam in dubio debet se gerere vt Irregularem, iuxta Canones. Lege *Bonac. to.* 1. *disp.* 7. *q.* 1 *pu.* 5. *Sanch to.* 1. *consil. lib.* 1. *cap.* 10. *à n* 47.

10 Irregularitas in vniuersum est duplex. Alia ex defectu, alia ex delicto. Hæc secunda non contrahitur nisi propter peccatum mortale, cui est adnexa, consummatum, & externum: v.g. Irregularitas ex homicidio non contrahitur per solam voluntatem occidēdi, neque per quamcumque diligentiam, & operationem, vt sequatur, si actu non est secutum. Hinc sequitur ignorantiam, vel inaduertentiam, quæ excusat à tali delicto; excusare etiam ab Irregularitate. Vtrum autem ignorantia solius pœnæ Irregularitatis, excuset ab ipsa incurrenda; longè probabilius est non excusare: quia, vt dixi, non infligitur vt pœna propter aliquam contumaciam, sed propter indecentiam, & indignitatem subiecti: quæ indignitas consequitur,

posito delicto, etiam cum ignorantia pœnæ. Licet aliqui putent, minùs probabiliter, excusare in foro interno. *Bonac. ibid. pun.* 3. Irregularitas verò, quæ est ex defectu, non exigit peccatum, sed defectum.

11 Irregularitas. Alia est totalis: & tunc priuat licita receptione, & vsu omnium Ordinum. Alia est partialis: & tunc priuat receptione, aut vsu alicuius. Irregularis, si ordinetur absque dispensatione; peccat quidem mortaliter, non tamen ex hoc incurrit nouam Irregularitatem. Item, absque dispensatione, est incapax noui beneficij: hoc enim datur propter officium, & vsum Ordinum, ad quæ inhabilis est Irregularis. Atque hic est effectus secundarius Irregularitatis. Item est incapax nouæ iurisdictionis ordinariæ, quæ requirit vsum Ordinum, & impeditur ab vsu antiquæ. De quibus plura *Suar. disp.* 40. *Filliuc. tract.* 19. *cap.* 3.

12 Irregularitates, siue ex defectu, siue ex delicto, multæ sunt, & ex multis capitibus. Ego breuiter summa nomina tangam, iuxta meum institutum, vt Confessarius saltem sciat dubitare, & vbi

vbi opus erit inquirere. Irregularitas ergo ex defectu, alia est ex defectu corporis: si enim aliquis tali corporis defectu laboret, qui Ordinis executionem impediat, vt notabilem deformitatem, aut horrorem iudicio Episcopi contineat; est Irregularis. Hi autem defectus esse possunt, vel in sensibus, vel in membris, vel ex morbis, præsertim incurabilibus, vel in ipsa membrorum imporportione, & monstruositate, & similibus. De quibus plura *Bonac. disp. 7. q. 2. pun. 2. Suar. & alij citati.*

13 Alia Irregularitas est ex defectu animi. Et primò scientiæ: nam illitterati, qui scilicet carent scientia ad Ordines requisita, de qua supra in Sacramento Ordinis; sunt Irregulares. Item carentes omnino vsu rationis, & furiosi, & infantes. Item Neophyti, id est qui ex Iudæis, Mahometanis, vel Ethnicis, de recenti ad Fidem conuersi sunt. De quibus plura *Filliuc. lo. cit. c. 7.* Huc reduci possunt Dæmoniaci, seu Arreptitij.

14 Alia Irregularitas est ex defectu Sacramenti Matrimonij. Sic Bigamus est Irregularis. Alia ex defectu nataliũ.

vt omnes illegitimi. Alia ex defectu originis : sic mancipia, & serui sunt Irregulares. Alia ex defectu ætatis, de qua dictum est in Sacramento Ordinis. Alia ex defectu bonæ famæ : sic infames sunt Irregulares. Infamia verò alia est iuris, id est per leges, aut canones posita; alia facti, quæ incurritur ex aliquo graui, & publico delicto, propter quod delinquens à Iuris Prudentibus iudicetur infamis. Alia est ex defectu lenitatis : sic ministri Iustitiæ sanguinis sunt Irregulares: & alij, qui ad mortem, etiam iustam, alterius cooperantur. De quare *Suar. disp.* 47. *Filliuc. lo. cit. cap.* 10. His Irregularitatibus ex defectu illud commune est, vt cessante causa, & defectu; vt plurimùm cesset Irregularitas.

15 Aliæ Irregularitates sunt ex delicto: nempe ex delicto Hæresis, aut Apostasiæ, Homicidij, aut Mutilationis voluntariæ. Interdum etiam ex Homicidio casuali secuto, ex opere illicito. Item ex delicto iteratæ receptionis, aut collationis Baptismi. Item interdum ex illicita Ordinum susceptione, aut ministratione, præsertim ab impeditis per

cen-

censuras. De quibus etiam Auctores citati.

16 Quantùm ad dispensationem ab Irregularitate, vniuersaliter loquendo, id pertinet ad Summum Pontificem. At verò in *Trident. sess. 24. cap. 6. de reform.* habentur sequentia verba: Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. Possunt etiam in quibusdam alijs leuioribus Irregularitatibus Episcopi dispensare: vt videre est apud Auctores citatos.

DE SEPTEM CAPITALIBUS VITIJS, & Passionibus Animæ.

1 SEptem Capitalia vitia sunt: Superbia, Auaritia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia, Accidia: quæ dicuntur capitalia, quia solent esse capita multorum peccatorum: & interdum sunt mortalia, inter-

interdum venialia, iuxta qualitatẽ materiæ, & circumstantiarum. Et quidem superbia est inordinatus appetitus excellentiæ, & gloriæ propriæ. Auaritia est inordinatus appetitus diuitiarum. Luxuria est inordinatus appetitus carnalium voluptatum. Ira est inordinatus appetitus vindictæ. Gula est inordinatus appetitus cibi, & potus. Inuidia est tristitia de alienis bonis, vt apprehenduntur minuere propria. Accidia est tristitia quædam, & languor animi circa res spirituales. Plura *Azor. to. 1. lib. 4. à c. 12. & fusiùs Tolet. tr. de 7. pecc. mort. & S. Th. 1. 2. quæst. 84. art. 4.*

2 Similiter passiones animi sunt vndecim. Sex in parte concupiscibili, quæ respicit bonum, vel malum absolutè: & sunt Amor, Odium, Desiderium seu Concupiscentia, Fuga seu Abominatio, Gaudium seu Delectatio, Dolor seu Tristitia. Quinque verò in parte irascibili, quæ respicit bonum, vel malum sub ratione ardui, & difficilis: vt Spes, Desperatio, Audacia, Timor, Ira. *S. Th. 1. 2. q. 23. ibique Valentia.*

3 Motus harum passionum possunt esse

esse boni, vel mali moraliter, quatenus subiacent imperio rationis, & voluntatis: & si sint secundùm rationem moderati; boni erunt: mali verò, si sint præter moderationem rationis. Debet ergo quilibet coërcere irrationabiles motus, & regulare, quantùm potest, secundùm rectam rationem. Vbi prudens Confessarius admoneat pœnitentem, quòd si interdum experiatur vehementes, imò vehementissimos motus passionis; non desperet, nec statim putet se succubuisse: sed voluntate semper dissentiat, occasiones, & otium fugiat, Deum oret, pœnitentias aliquas adhibeat, &c. Nam, nisi voluntatis assensus accedat; non erunt peccata, sed materia meritorum.

DE CONSCIENTIA.

1 COnscientia, vt nunc accipitur, est iudicium practicum particulare, ordinatum ad operandum, quo quis iudicat, hanc, vel illam rem esse bonam, vel malam.

2 Dicitur conscientia recta, cũ quis pru-

prudenter iudicat, operationem, quæ est bona, esse bonam, & quæ est mala, esse malam.

3 Erronea est, cùm iudicatur imprudenter id, quod bonum est, esse malum, & quod malum est, & peccatum, esse bonum, idque determinatè iudicatur.

4 Dubia est, cùm quis determinatè nescit, an aliquid sit bonum, an malum, siue suspendendo iudicium ad vtrumque, siue positiuè dubitando.

5 Probabilis est, cùm ex aliquibus rationibus non leuibus, siue ex Doctorum auctoritatibus, quis assentitur vni parti, non sine formidine oppositi.

6 Scrupulosa est, cùm quis, ex insufficientibus & leuibus indicijs, suspicatur aliquam rem bonam esse malam. Dicitur autem scrupulosus, qui frequenter patitur huiusmodi molestias, & perplexitates.

7 Operari aliquid, quod conscientia, siue recta, siue erronea dictat esse peccatum; est peccatum: & quidem mortale, si conscientia dictat esse mortale, &c. quia qui ita agit, quantùm est ex se, contemnit benè operari, eligendo quod putat esse malum.

8 Si

8 Si quis faciat rem malam, putans ex errore esse bonam; si ignorantia est invincibilis, non peccat: si autem vincibilis, & culpabilis; peccat, iuxta quantitatem rei: quia ignorantia culpabilis æquiparatur scientiæ in ordine ad culpam.

9 Quando duæ opiniones contrariæ sunt ambæ probabiles, potest homo sequi magis tutam, etiam si sit minùs probabilis: potest etiam sequi minùs tutam, & minùs probabilem: non tamen quando ex hoc sequeretur graue periculum salutis propriæ, aut alienæ: tunc enim debet sequi magis tutam. Sicuti etiam probabilius est, Iudicem in exercenda iustitia debere sequi sententiam probabiliorem.

10 Si quis dubitet, an facere aliquid sit peccatum, certò tamen sciens, quod omissio illius non est peccatum: v.g. dubitet, an dicere talia verba sit peccatum, cùm omittere illa non sit peccatum, tenetur omittere, nisi adhibito consilio, & ratione, prudenter iudicet, quòd illa facere, vel dicere non sit peccatum.

11 Si quis æquè dubitet, an sit peccatum facere, ac omittere; adhibeat diligentiam,

gentiam, vt se determinet prudenter ad alteram partem: quòd si res adhuc maneat dubia: eligat partem, quam iudicat meliorem: quòd si neque possit; eligat, quam voluerit, sibi certò persuadens, quòd ita faciens non peccat: tunc enim perinde est, ac si vtraque pars esset probabilis.

12 Si quis dubitet aliquid esse mortale, & cum tali dubio operetur, non deponendo conscientiam modis prædictis; peccat mortaliter: & si dubitet esse veniale, venialiter: si verò in genere dubitet esse peccatum, & non descendendo ad mortale, & veniale; probabilius est peccare venialiter: nisi forte virtualiter, & implicitè ille esset paratus ad peccandum, etiam si esset mortale.

13 Scrupulosus, iuxta consilium Prudentis viri, quem debet habere rectorem suæ conscientiæ: non solùm potest, sed debet operari contra conscientiam suam scrupulosam: cùm enim hæc procedat ex leuibus, & insufficientibus fundamentis, non est eius habenda ratio. Plura de his *Vasquez* 1-2. *à q.* 58. *Azor. to.* 1. *l.* 2. *à cap.* 8. *Filliuc. to.* 2. *tr.* 21. *c.* 4.

DE

DE CONFESSARIIS sollicitantibus.

1 OMnes Confessarij sollicitantes in confessione suos pœnitentes, siue masculos, siue fœminas ad actus turpes; & inhonestos sacrilegè peccant, & sunt ab ipsis pœnitentibus reuelandi Sancto Officio, vel Ordinario loci: alioqui tales pœnitentes non possunt absolui, nisi vel per se, vel per alios reuelent: imò etiam incidunt in excommunicationem, propter edicta Inquisitorum.

2 Nomine sollicitationis, post Bullam Gregorij XV. intelligitur non solũ si Confessarius in actu confessionis sacramẽtalis prouocet, alliciat, & excitet pœnitentem ad actus inhonestos, & ab ipso tale aliquid petat, aut tentet, aut procuret, siue tunc exequendum, siue absoluta confessione, siue cum ipso Cõfessario, siue cum alijs; sed etiam si Confessarius ante, vel post confessionem immediatè, seu occasione, vel prætextu con-

confessionis, etiam ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiũtur, seu ad confessionem audiendam electo, simulans ibidem confessionem audire, sollicitare, vel prouocare tentauerit pœnitentes, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerit. In his ergo omnibus casibus sunt reuelandi Confessarij nec excusantur paruitate materiæ.

3 Confessarij sollicitantes possunt absolui per Sacramentum Pœnitentiæ ab hoc delicto à quolibet ordinario Cõfessario, non enim est casus reseruatus in iure.

4 Tenentur Pœnitentes reuelare Confessarios sollicitantes, etiam si ipsi pœnitentes fuerint primi in miscendis sermonibus inhonestis, aut Cõfessarios sollicitauerint: dummodo Confessarij consenserint, & habuerint inhonestos sermones. Nam in Bulla prædicta constat sufficere ad hanc denunciationem si Confessarius habuerit cum pœnitente illicitos, & inhonestos sermones, aut tra-

tractatus: nec excipitur casus, in quo ipsi non fuerint primi: sed satis est si inhonestos sermones habuerint.

7 Item, etiam si ipsi pœnitẽtes sollicitati consenserint turpi petitioni, in quo casu pœnitẽtes reuelantes non tenẽtur, nec debẽt dicere suũ consensũ, aut peccatũ: nec si dicant, illud erit recipiendũ ab Inquisitoribus, sed satis erit, si absolutè dicant, se fuisse sollicitatos, aut Confessarium habuisse cũ ipsis turpes, & inhonestos sermones: in quo etiam casu, nec ipsi Confessarij admittuntur, si alienum consensum reuelare velint.

8 Nec dici potest, quòd mulier consentiens non teneatur denunciare, cũ sit socia criminis: quamuis enim ipsa consentiens peccet simul cum Confessario, atque adeo dici possit socia criminis, veluti materialiter; nõ est tamen socia criminis, prout hoc crimen per decreta Põtificum pertinet ad Sanctum Officium: nam solùm pertinet ex parte Confessarij tantùm, & vt habet rationẽ sollicitationis ex parte ipsius; quo pacto mulier nullo modo est socia: & propterea si Confessarius velit reuelare consensum

pœnitentis; non admittitur, vt dixi.

7 Est etiam reuelandus Confessarius, qui in confessione, vel ante, aut post immediatè præbet pœnitenti scriptum, in quo continetur sollicitatio: etiam si tale scriptum non legatur tunc à pœnitente, sed postea domi suæ, aut alibi.

8 Est etiam reuelandus Sacerdos, qui, licet non sit Confessarius, fingit tamen se esse Confessarium, & sollicitat modo prædicto: nam omnis Sacerdos est Confessarius pro venialibus.

9 Non solùm ipsi pœnitentes, sed etiam quilibet, qui, saltē à personis fide dignis audierit talem Confessarium hanc, vel illam personam sollicitasse, tenetur hoc reuelare: etiam si talem notitiam habuerit in secreto: & hoc propter bonum publicum, & in fauorem Fidei.

10 Omnes Confessarij tenentur scire obligationem, quam habent sub mortali, monendi suos pœnitentes, vt si ab aliquo Confessario sollicitati fuerint, denuncient sollicitatorem.

11 Potest excusari pœnitens ab hac denunciatione facienda, propter impotentiam, vel physicam, vel moralem, saltē

ad tempus: qua in re standum erit iudicio prudentis, & docti Confessarij, iuxta ea, quæ de hac re viri docti docuere, inter quos vltimo loco copiosè scripsit Hieronymus Trimarchius opusc. de hac ipsa re: & multa etiam habet *Diana 1. par. tract. 4.*

DE HORIS CANONICIS.

1 HOræ Canonicæ sunt septẽ, scilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium, prout continentur in Breuiario Romano. Agunt de hac materia *Suar. tom. 2. de Relig tr. 4. l. 4. Filliuc. to. 2. tr. 33. à c. 3. Azor. to. 1. lib. 10. Sanch. to. 2. Consil. lib. 7. c. 2. Bonac. to. 1. tract. de hac re.*

2 Tenentur has horas recitare omnes cõstituti in sacris Ordinibus: Regulares professi iuxta instituta, vel cõsuetudines suarum Religionum: & demum omnes habentes beneficium Ecclesiasticum: quæ recitatio potest fieri cum socio alternatim.

3 Recitatio Officij diuini debet esse vocalis, ita vt voce exprimãtur syllabæ, & verba, etiam si non audiantur ab alijs,

quando priuatim recitatur. Debet præterea fieri cum intentione, saltem implicita, orandi, & cũ attentione aliqua, vel ad sensum verborũ, vel ad Deũ, & res sacras, vel saltem ad verba proferenda.

4 Debet integrè recitari singulis diebus, ita vt omissio vnius horæ sit peccatum mortale: vel etiã omissio partis notabilis, vel maioris vnius horæ: non autẽ minimæ, vt omissio vnius psalmi, aut quid simile. Omissio omnium horarum, aut multarum, an sint tot peccata, quot sunt horæ omissæ, aut vnum æquiualens multis; parum refert: expeditiùs erit cõfiteri numerum horarum omissarum, vt iuxta quantitatem delicti, imponatur pœnitentia.

5 Debet recitari Officium iuxta formam Breuiarij Romani, secluso priuilegio: nec potest ad libitum, & semper recitari vnum Officium pro alio, sine mortali. Quòd si ex ignorantia, vel inaduertentia, vel ex aliqua occasione ita fieret; non esset mortale ex paruitate materiæ, nec esset obligatio repetendi Officium illius diei.

6 Matutinum, & Laudes subsequentis diei

dici possunt dici post Completorium antecedentis diei, & inchoari possunt in Sicilia, data hora 21. horologij ordinarij, etiam in hieme, iuxta consuetudinẽ receptam ferè in tota Italia. Nam in tabella impressa Romæ, & approbata dicitur, mense Decembri & Ianuario, in quibus mẽsibus esse poterat aliqua difficultas, posse inchoari Matutinum hora 21. cũ vno quadrante. At verò tanta distãtia est Romæ à meridie vsque ad horam 21. cum vno quadrante, quanta est in Sicilia à meridie ad horam 21. Mense verò Iunio & Iulio in eadẽ tabella dicitur posse inchoari vno quadrante ante 20. horã. In alijs verò mensibus intermedijs plus minusque inter hæc duo veluti extrema. In alijs autẽ regionibus propter diuersam longitudinem dierum & noctiũ, seruetur vsus in illis approbatus. De qua re Legi potest *Sanch. loc. cit. dub.* 37. & *Diana par.* 4. *tr.* 4. *miscell. resol.* 9. Reliquæ horæ non possunt dici, nisi post mediam noctem. Prima, circa auroram, Tertia, Sexta, & Nona ante meridiem, Vesperæ, & Completorium post meridiem, iuxta Rubricas Non seruare autem præ-

sisse, & exactè hunc ordinē, si sine causa vlla fiat, & immoderatè; ad summū erit veniale: dummodo non fiat ex contemptu. Similiter inuersio ordinis horarum, vt si dicatur Tertia ante Primam, &c. non est per se mortale: nec tamen fieri debet sine causa, sicuti nec Missa celebrari ante Matutinum.

7 Inter Matutinū, & Laudes, & alias horas potest fieri quæuis interruptio: at inter partes vnius horæ inter se, si sit notabilis interruptio, & sine causa; erit veniale. Inter nocturnos Matutini potest fieri interruptio per duas, vel tres horas.

8 Excusantur à recitatione diuini Officij, qui saltem moraliter essent impotentes ad illud recitandum iudicio prudentis viri: vt si non haberent Breuiariū sine culpa, nec scirent memoriter: si aliquo opere necessario Charitatis, aut iustitiæ essent aliquo die omnino impediti: item ægroti iudicio Medicorum, aut Superioris, aut prudentis, & experti viri, etiam ipsius ægroti.

9 Si quis ex rationabili causa nō potest recitare præcipuam partem Officij diuini; non tenetur ad alias: si autem præ-

præcipuas partes potest; tenetur ad illas, etiam si non possit totum.

10 Præceptum recitandi Officiũ pro Subdiaconis, incipit ab hora sexta illius diei inclusiuè, quo recipit Subdiaconatum: pro beneficiarijs verò à die possessionis beneficij, siue actu percipiant fructus, siue habeant spem percipiendi. Quòd si fructus sint valde tenues, sufficiet recitare Officium festis diebus, iudicio docti viri.

11 Beneficiarius, licet primis sex mensibus, non recitando Officium, peccet mortaliter; tamen non tenetur ad restitutionem fructuum: tenetur autẽ si post sex menses non reciter: & quidem pro rata omissionis, & fructuum beneficij, considerata qualitate beneficij, iudicio docti viri. Plura de beneficiarijs, & de recitantibus horas canonicas in Choro, legi possunt apud *Suar. to. 2. de Relig. l. 6. & alios.*

12 Præterea Clericis in Sacris, & Religiosis, vt cõmodius rebus diuinis vacent; prohibita est Negotiatio per se ipsos. Fit autem negotiatio, cùm quis rem aliquam comparat, vt eam integram, &

immutatam vendendo, lucretur. Ité non possunt conducere aliena prædia, vel vineas, &c. vt vendendo fructus lucrifaciant. Est autem mortale, nisi excuset paruitas materiæ, aut rarò fiat. *Vide Lessium lib. 2. cap. 2.*

CASVS RESERVATI IN Bulla Cœnæ Domini.

1 HÆretici cuiuscumq; sectæ, eorumdem fautores, libros legentes, tenentes, aut imprimentes, & schismatici.

2 Appellantes à Pontifice ad futurum Concilium, eorumque fautores.

3 Piratæ, atque eorum receptatores, & fautores.

4 Naufragorum Christianorum cuiuscumque generis bona, etiam in litoribus inuenta, surripientes.

5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augentes.

6 Falsificantes litteras Apostolicas, aut falsò fabricantes.

7 Deferentes arma, & alia vsui belli co idonea ad Turcas, vel alios Christiani nominis inimicos: & ad Reipublicæ Chri-

Christianæ statum pertinentia ijsdem in damnum Christianorum nunciantes.

8 Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam conuehunt.

9 Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera lædentes: & sine iurisdictione vexantes in Curia commorantes.

10 Romipetas, ac peregrinos etiam in vrbe morantes, vel abeuntes lædentes.

11 Offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos.

12 Ad Romanã Curiã pro negotijs suis recurrentes, per se, vel per alios lædẽtes.

13 Appellantes à grauamine, vel futura executione litterarum Apostol. ad laicam potestatem.

14 Executionem litterarum Apostol. aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias impetrandas accedentes.

15 Iudices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua Tribunalia, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.

16 Impedientes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur: quique illorum, &

delegatorum iudicia eludentes, ad curiam sæcularem recurrunt, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.

17 Vsurpantes ad Sedis Apostol. & quarumcumque Ecclesiarum iurisdictiones, vel etiam fructus sequestrantes.

18 Imponentes decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesijs, Monasterijs, aut eorum fructibus.

19 Iudices sæculares, qui se interponunt in causis capitalibus, seu criminalibus contra Ecclesiasticas personas.

20 Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionem vsurpantes.

ALII CASVS SVMMO PONtifici intra Italiam reseruati.

1 Violatio clausuræ monialium ad malum finem.

2 Inijcientium violentas manus in Clericos.

3 Simonia realis scienter contracta.

4 Confidentia Beneficialis.

5 Prouocantium, & pugnantium in duello, iuxta Concilium Tridentinum, & Constitutionem Gregorij XIII. cuius tenor habetur supra.

8 Vio-

6 Violatio immunitatis Ecclesiasticæ circa confugientes ad Ecclesias, vt iam dicetur.

DE IMMVNITATE CIRCA confugientes ad Ecclesias.

1 GRegorius XIV. in quadam constitutione, quæ incipit, *Cũ alijs non nulli, &c.* statuit, vt omnes delinquẽtes, qui confugiunt ad Ecclesias, gaudeant immunitate, exceptis casibus expressis paragrapho 3. cuius tenor est huiusmodi.

2 Vt Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur.

3 Aut depopulatores agrorum.

4 Qui ue homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumue Cæmeterijs committere non verentur.

5 Aut qui proditorie proximum suum occiderint.

6 Aut Assassini.

7 Vel hæresis rei.

8 Aut læsæ Maiestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.

9 In alijs casibus delinquentes confugientes ad Ecclesias, gaudent immunitate. Si quis verò contra hanc constitutionem læserint immunitatem Ecclesiasticam, erit casus reseruatus Papæ.

FORMA ABSOLVTIONIS.

Misereatur tui Omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens, & Misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omni vinculo Excõmunicationis, * Suspensionis, & Interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

Ego te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Iesu Christi, Merita B. M. semper Virginis, & omniũ San-

Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

* Nota, quòd si pœnitens non fuerit Clericus, omittitur illud verbum, Suspensionis.

VRGENTE PERICVLO Mortis.

EGo te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

FINIS.

INDEX RERVM.

A

Absolutionis forma in quibus verbis cõsistat. pag. 81. n. 46. An in absolutione à peccatis censuræ ineatur implicitè absolutio à censuris, p. 81 n 47 & 48. An possit dari sub conditione de futuro, p. 84 n. 50. Absolutionis forma, p. 482. 483 & 484

Abstinentia, Vide Ieiunium.

Adiuratio quid, & quot modis fieri possit, p. 208 n. 9 Eius conditiones ibidem à n. 10. vsque ad 14. An possit adiurari Deus & Sancti, p. 210 n 14 An creaturæ irrationales, pag. 211 n. 16. An Dæmones 212 nn. 17. An subditi à suis Superioribus, p. 211 n. 15.

Adulatio quid, & an mortale, p. 248 n. 23. Eius oppositum, ibidem num. 24.

Adulterium quid. Et an ad hoc peccatum satis sit Matrimonium ratum, & non consummatum, & an sufficiant sponsalia, p. 236 n. 8 Adulter an amittat ius petendi, & reddendi debitum, p. 217 n. 9 Adultera an teneatur manifestare suum peccatum, ibid. n. 10 Adulteram occidens an peccet, p. 242 num. 15

Am-

Amplexus. Vide oscula.

B

Baptismus quid. & qua necessitate necessarius, p. 16 n. 1 & 2. Baptismus triplex, p. 33 n. 19. Eius materia quid, & qu tuplex, p. 18 n. 5. Eius forma in quibus verbis consistat, p. 20 n 5. Quinam sit in Baptismo minister, p. 21 n. 7. An in casu extremæ necessitatis quilibet possit baptizare, p. 22 num. 8 Baptismi subiectum, p. 25 n. 11. Quid requiratur circa Adultos baptizandos post vsum rationis, p. 27 n. 13 & 14. In quibus casibus possit conferri sub conditione, p. 29 n. 15, Baptismi Effectus, p. 30 n. 16, In Baptismo quænam sint seruanda, 31 n. 17, In Baptismo requiritur susceptor. An possint esse plures. An quilibet possit esse susceptor. Ad quid teneatur susceptor, p. 32 n. 18

Beneficiarij non recitantes Horas Canonicas an teneantur ad restitutionem, p. 343 num. 11

Blasphemia quid, & quot modis esse possit, p 197 n. 13. Est duplicis generis. p. 198 nu. 14, An in creaturas sit graue peccatũ, n. 15

Bulla Cruciatæ definitio, & priuilegia, p. 89 n. 2, & seq. An eius absolutio sit necessaria, p. 90 num. 7, An gauderet priuilegio

Bullæ

Bulla si quis proficisceretur in aliud Regnũ p.91.n.10, Quanto tempore durat Bulla, & an satis sit propositum illam suscipiendi, & quid si accipatur dilata solutione, ibid. n.11, 12, & 13, An hæresis, & censura absolui possint per Bullam, & an vota commutari, ibi. n.14 & seq Bulla Compositionis priuilegia, p.95 à n.22, vsque ad 26, An quilibet beneficio Bullæ possit vesci lacticinijs, p.96 n.26, & 27

Bulla Cœnæ. Vide Casus reuati.

C

CAmbium. Vide Contractus.

Cantilenæ. Vide verba turpia.

Casus reseruati in Bulla Cœnæ, p.344, Alij casus reseruati Summo Pontifici, p.346

Censura quid, & quotuplex, p.315.n.1

Cessatio à Diuinis quid, p.322 n.5

Circumstantiæ peccatorum duplicis generis, p.72 n.32 & 33

Clericis an prohibita negotiatio, p.476, n.12

Cognatio triplex, p.148 n.16

Comœdijs interesse an peccatum, p.299 num.5

Commodatum quid, p.276 num.21

Complices an reuelandi in Confessione, p.77 num.38

Con-

Confessarius an teneatur habere distinctam memoriam omnium peccatorum in fine confessionis, p. 83 n 49, Ad quid tenetur si absoluat aliquem à peccatis reseruatis, cũ non possit, p. 84 n. 51, Confessarij obligationes explicantur, p. 55 à num. 3, vsque ad 9 & p. 78, n. 39, p. 84 n. 52 & 53, & p. 85 n. 54 & seq. Confessarij sollicitantes an sint reuelandi, & à quibus, p. 335 n. 1 & p. 336 à nu. 4 vsque ad 10, Confessarij tenentur admonere pœnitentes, vt reuelent, p. 338 n. 10

Confessio debet esse integra, p. 66 nu. 24, Ad confessionis perfectionem, quanam requirantur, p. 68 n. 28 & 29, An possit esse integra formaliter, & materialiter p. 71. n. 30, An possit esse valida, & informis, p. 74 n. 34, An possit fieri absenti Sacerdoti, p. 76 n. 36, Quodnam peccatum sit dicere mendacium in confessione, p. 77 n. 37, Confessionis præceptum quo tempore, & quos obliget, p. 88. à n. 1 vsque ad 4

Confirmationis effectus explicantur, p. 34 n. 1, Eius materia quanam sit, ibid. n. 2 Confirmationis forma, & definitio, p. 35 n. 3, In Confirmatione minister, & subiectum, p. 36. n. 4 & 5, In Confirmatione quanam requirantur, p. 37 n. 6, An teneantur Episcopi

sopi hoc Sacramentum conferre, ibid.

Coniugum obligationes referuntur, pag. 167 n. 43

Conscientia quid & quotuplex, p. 331 à nu. 1 vsque ad 7, Quando operari contra illam sit peccatum, p 332 à n 7 vsque ad fin.

Consilium dantes ad peccatum quando peccent p. 302 n. 10

Contractus quid sit, p. 265 n. 2, Quid requiratur ad perfectionem contractus, ibid. num. 3, Quotuplex sit, p. 266 num. 4, Quænam obligatio oriatur ex contractu ibid. num. 5. In contractu Societatis quid aduertendum, p. 281 num. 29, In cambijs quid, p. 282 n. 30, Quid in contractu, qui dicitur, alla meta, seu, alla raccolta, ibid. & num. 31

Contritio duplex. p 63 num. 17

Conuicium, & Contumelia quid & quale peccatum, p. 294 num 10

Cooperatores ad peccatum quando censeantur peccare, p 300 à n. 6 vsque ad 10, An, & quando liceat consilium dare ad peccandū, vel permittere peccata p. 302 n. 10. & 11

Copula coniugalis quâ ratione, quo loco, quo tempore fieri possit, p. 167. nu. 44. 45. & 46. An præcedens nocte immediata impediat Communionem p. 184. n. 12

Cor-

Correctio fraterna quid, & in quibus casibus adhiberi debeat, p. 251 n. 29

D

DEcalogi Precepta quanam sint, p. 186. n. 1, Ad quid teneatur homo per primum Preceptum, p. 187 n. 2, Quot modis peccari possit contra primum Preceptum, p. 188 à n. 3, usque ad 13

Delectatio morosa quid, & quale peccatum, p. 296 num. 2, Delectatio rei prohibitæ quando licita p. 297 n. 3

Denunciatio in quibus casibus facienda, p. 225 n. 6 & 7, Quinam excusentur à talibus denunciationibus faciendis, p. 227 n. 8 & 9, Explicatur modus, quo fieri debeant tales denunciationes, p. 228 n. 10 & seq.

Depositum quid, p. 276 nu. 21, An si quis pecunia deposita ludat, & lucretur, teneatur ad restitutionem, p. 277 num. 23

Desiderium alienæ rei quando sit mortale, p. 295 n. 1, Alienæ mulieris quale peccatum, p. 296 num. 2

Detractio quid, p. 290 num. 4

Diuinatio quid, & eius duplex genus, p. 191 num. 7. & 8

Dubium duplex, pag. 292 num. 8

Duellum quid, & quomodo prohibitum,

p.304 n 1, Quinam excommunicentur ratione duelli, ibid. n.2 & 3, Contra duellum Bulla Gregory, p.306

E

Ecclesiæ præcepta quæ nam sint, p.169 n.1. Eleëmosynis in quibus casibus teneatur homo subuenire pauperibus, p.249 n.25 & seq.

Episcopus est ordinarius minister Ordinum, p.134 n.21, An possit ordinare non confirmatos, p.37 n.6, An alienos subditos, pag. 135 n.22, Ex triplici capite possunt esse eius subditi, ibid. Episcopus an teneatur conferre Ordines, p.136 n.13, Eius obligationes explicantur, ibid. à nu. 23 vsque ad 30, Quæ intentio requiratur in Episcopo ordinante, p. 138 num. 29

Eucharistia quid, p.38 num 1, A Christo Domino in vltima Cœna instituta, p.39 n. 2, Quid veniat ex vi verborum, p.40 nu.3. Eucharistia materia, & forma, p. 41 nu.4. Eucharistia vt est Sacrificium quid, & quomodo perficiatur, p.44 n.7, Eucharistiæ effectus vt est Sacrificium Propitiatorium, Satisfactorium, & Impetratorium, p.46 n. 10, Pro quibus, & quomodo offeratur, p.47. nu.11, Ad Eucharistiam quæ requirantur,

p.52 n.17, Eucharistia quot modis possit sumi, p.184 nu.1, Eucharistiam sumere, quo tempore, quo loco, & qui teneantur, ibid. nu. 2, & seq. Eucharistiam sumere in quo casu liceat non præmissa confessione Sacramẽtali, p.182 num.6, Eucharistiam sumere per modum Viatici an teneantur infirmi, non pertetuo amentes, phrenetici, Energumeni, damnati ad mortem, & an pluries possint illam sumere, & an bis in die, p.183 n.8 & 9. Eucharistiam sumere an possit quiuis ante peractam pœnitentiam Sacramentalem, & ante annum pubertatis, p.184 n 10 & 11

Excommunicatio quid, & quotuplex, p. 315 nu.2, Quibus bonis priuet excommunicatio maior, & quibus minor, ibid.n. 3 & 5. maior quando contrahatur, p.317 nu.6, Excommunicationis diuisiones, ibid.num.7, A quo possit absolui, p.319 n.10, Excommunicati alij tolerati, alij non tolerati, p.316 n.4. Quando liceat cum excommunicato conuersari.p.317 n.8 & 9, Quid sit participare in crimine criminoso cum excommunicato, ibid.num.8

Extrema Vnctio quid, & à quo instituta, p.112 n.1, Eius materia, & in qua parte corporis, & quo ordine fieri debeat, p.113 nu.2,

Eius

Eius forma in quibus verbis consistat p. 114 n. 3, Quid si in forma fiat aliqua variatio ibid. An in casu grauis necessitatis sufficiat vnica vnctio, p. 115 n. 4, Quot vnctiones, & quæ forma sint de eius essentia, ibid. n. 5, An omnibus possit dari hoc Sacramentum, etiã senibus, & quare. Et an possit iterari, & quando, p. 116 n. 6, Quis sit eius minister ex officio, p. 117 n. 7, An vni ægroto possit à pluribus Sacerdotibus ministrari. Et an casu necessitatis possit quilibet Sacerdos, p. 118 n. 8, An sit præceptum obligans ad eius receptionem, ibid. n. 9, Eius effectus explicantur, p. 119 n. 10, Circa hoc Sacramentum ad quid tenetur Parochus, p. 120 num. 11

F

FEstis diebus ad quid teneantur Christiani, p. 219 n. 3, Festum quando incipiendũ, & quibus operibus abstinendũ, ibid à n. 3, vsque ad 9, Festis diebus in quibus casibus operari liceat, p. 221 nu. 9, Festis diebus peccare mortaliter an sit circumstantia consideranda, ibid. n. 10

Filij tenentur subuenire parentibus, pag. 322 num. 1

Fornicatio quid, & quale peccatum, pag. 252 n. 2, An actus impudici, oscula, &c. quæ

occurrere solent in ipso actu fornicationis exprimi debeant, p. 253 num. 3

Furtum quid, p. 267 num. 6, An differat specie à rapina, ibid. n. 7, An committatur in humanis commercijs. p. 268 num. 8

H

HÆresis quid sit, p. 303 n. 22, An possit absolui beneficio Bullæ Cruc. in articulo mortis, p. 90 nu. 6, Hæreticus an sit denunciandus, p. 230 num. 14.

Homicidij qua circumstantia necessariò aperienda sint, p. 233 n. 3, Homicidium duplex, p. 234 n. 4, An semper sit cum peccato, & quando, p. 235. n. 5. 6. & 7. Homicidium facto, consilio, præcepto, promissione, auxilio, an sit graue peccatum, p. 237 nu 8, Homicidium alterius an quis teneatur impedire cli periculo grauis alicuius damni, p. 238 n. 9, In quibus casibus possit esse iustum, p. 241 n. 13 & 14, Homicidium adulteræ an sit peccatum, p. 242 num. 15

Horæ Canonicæ quot p 469 n. 1, Qui teneantur illas recitare, p. 339, nu. 2, Qualis debeat esse hæc recitatio, num. 3. 4. & 5. Quo tempore, & modo recitari debeant, p. 341 n. 6, An cum interruptione, p. 342 nu. 7, Qui nam excusentur à recitatione, ibid. num 8,

Nou

Non potens recitare totum Officium anteneatur ad partem, Ibid. nu. 9, Quando incipiat hoc Præceptum, p. 343 num. 10.

I

IEiunium in quo consistat, & qui teneantur illud seruare, p. 174 nu. 1, Explicatur differentia inter illos, qui per plures comestiones frangerent ieiunium, & inter illos, quibis, aut ter in die ieiunij comederent carnes, p. 175 n. 2, Ieiunans à quibus cibis se abstinere debeat, & eorum differentia, ibid. n. 3. A ieiunio qui nam excusentur, p. 176. n. 4 & n. 9 Ieiunium non frangitur per vini potum Ibid n. 7. Ieiunium seruare extra propriam Ciuitatem an quis teneatur cùm in sua non tenetur, num. 8

Immunitate Ecclesiæ qui gaudeant, p 347

Incæstus, quid, & an cum consanguinea sit diuersæ speciei ab incæstibus cum affinibus, p. 258 n. 11 & 12, Incæstuosus an amittat ius petendi debitum, ibid. n. 12

Indulgentia quid, p 101 n. 2, An sit necesse vt qui lucrari debet, sit in gratia, p. 103 n. 4, & p. 106. n. 10, Vnde dicantur sumi, p. 104 n. 6, Indulgentia triplex, p. 105 nu. 8, An si aliqua conditio deesset, obtineretur, p. 106 n. 9, An valeant etiam pro pœnis iniunctis à

Confes-

à Confessario, p. 108 n. 12, Quomodo fideles illas consequantur quoad culpam, & pœnam, p. 109 n. 13, An possint viui illas lucrari pro defunctis, & quomodo, p. 111 n. 15, Quæ intentio requiratur ad consequendam Indulgentiam, ibid. n. 16

Intentio quotuplex sit, p. 10 n. 12

Interdictum quid, & quotuplex, p. 321 n. 1 & 2, Interdicti effectus, n. 2 & 3

Irregularitas quid, & quot modis possit sumi, p. 322 nu. 7, Quod si aliquis dubitet se esse irregularem, & velit ad Ordines promoueri, p. 324 nu 9, Irregularitatis variæ diuisiones, p. 325 à nu. 10, vsque ad 16, An contrahatur per solam voluntatem, & an ignorantia solius pœnæ excuset ab ipsa incurrenda, ibid. n. 10, Quid si irregularis ordinetur absque dispensatione, p. 326 n. 11, Ex quibus capitibus oriatur, ibid. à n. 12. vsque ad 16, A quo possit dispensari, p. 329. n. 16

Iubileum quid p. 97 n. 1, Eius priuilegia, p. 98 n. 2, & sequentibus.

Iudaismus quid sit, p. 303 n. 22

Iudex an possit sibi retinere pretium pro sententia ferenda, 275 n 20

Iudicium temerarium quid, & an graue peccatum, p. 292 n. 7, Quid ad tale iudicium requiratur, p. 293 n. 9

Iuramentum quid, & quotuplex, p.205. n.2, Eius conditiones, n.3, An iurare sub aequiuocatione, liceat, nu.4, Qui iurat, an teneatur adimplere iuramentum, & quando, p.207 n.5 & 6, Iuramentum promissorium quando nam obliget, n.7 & 8

Iustitia quid, & quotuplex, p.264 nu.1, Iustitia commutatiua circa quæ versetur, p.265.n.2

L

Libros inhonestos legere quando sit peccatum, p.199 n.5

Litteræ amatoriæ Vide Cooperatores.

Locatum quid sit p.276 n.21

Lucrum turpe an sit restituendum, p.274 n.19

Ludus quid, quotuplex, & quomodo prohibitus, p.308 n.1 & 3, Per ludum acquisita quomodo restituenda, p.309 nu.2. Ludens ludo prohibito an teneatur ad restitutionem, p.310 num.4, Ludere cum imperitiori an liceat, ibid.n.5

M

Magia quid, & an per eam Dæmones compellantur. pag.190 n.6, Magus an debeat reuelari Inquisitoribus, p.196 n.12

Maleficium quid sit, pag.195 n.10, An liceat

ceat maleficium maleficio soluere, pag. 196. num. 15

Malum aliud quia prohibitum, aliud prohibitum quia malum, p. 298 n 4

Mandans, reuocans mandatum an pecet, & quid dicendum de consilium dante, & illud reuocante p. 238 n. 10

Matrimonij definitio, p 139 n 1. Eius materia, & forma, 140 nu. 2, In Matrimonio quis sit Minister, p. 141 n. 3, Matrimonij effectus, p. 142 n. 4, Eius impedimenta duplicis generis, nu. 6, Referuntur impedimenta impedientia tantùm, à n. 7, vsque ad 12, Impedimenta dirimentia, p. 147 à n. 12 vsque ad 34, Harum occasione traduntur regula ad dignoscendos gradus consanguinitatis p. 150 n. 17 & 18, Ad Matrimonium quanam atas requiratur, p. 164 nu. 35, Si post contractum Matrimonium cum aliquo impedimento dirimente, aliquis ex contrahentibus veniat in notitiam talis impedimenti, quid facere debeat, & qua ratione Confessarius se gerere debeat, p. 165 n. 39 & n. 41, Quid si aliquis contraheret cum aliqua putata consanguinea intra quartum gradum, ibid. n. 40. Finis Matrimonij, p. 167 n. 42

Mendasium quid, & quotuplex, p. 288.

n.2, Ad quid tenetur testificans falsum crimen, p.289 n.3

Meretrix an possit accipere, & retinere iustum lucrum pro sui corporis prostitutione, p.254 n.4, An absoluenda ibid.

Missam audire quis, quibus diebus teneatur, & in quo consistat, p.169 n.2, Missam integram audire an sit in præcepto, pag. 170 n.3, An aliquis Missam audiens deuotionis causa, mutans voluntatem, possit per idem Sacrum satisfacere Præcepto, ibid.n.5, Ad Missam quænam attentio requiratur, p. 171 nu.6, An satisfaceret Præcepto Missam audiens ex malo fine, vel voluntariè confabulando, Psalmos, & Preces recitando, ibid. nu. 7, An aliquis relinquens Sacrum, quod tenebatur audire pluribus capitibus, peccet pluribus peccatis, p.172 nu 8, An teneatur audire Missam si quis egrediatur in agrum, quando Festum est solum intra Vrbem, ibid. n.9, Qui excusentur à peccato non audiendi Sacrum, p.173 n.11, Missa vbi sit celebranda, p.51 n.16

Murmuratio quid, & an peccent, qui loquuntur, & qui audiunt, p.291.n.6

Mutuum quid sit, p.276 n.21.

Nego-

N

NEgotiatio quid sit, p. 343 n. 12, Clericis prohibita, Ibid.

Nuptiarum solemnitas, & Benedictio an sit in Precepto, p. 164 n. 36

O

OBseruantia vana in quo consistat, pag. 193. num. 9

Occidens aliquem iniustè, tenetur ad restitutionem, p. 232 nu. 2, Occidens seipsum grauiter peccat, p. 239 n. 11

Odium an, & quando graue peccatum, p. 243 n. 18. & 19

Opinio temeraria quid sit, p. 292. n. 8

Ordo quid, & an possit iterari, p. 121 n. 2, Ordines in vniuersum septem, p. 122, nu. 3. An prima Tonsura sit Ordo, & an Episcopatus, & Cantoratus sit nouus Ordo, p. 123. n. 4. Singulorum Ordinum Officia, & obligationes, ibid. à n. 5, vsque ad 9, An quilibet Ordo sit Sacrament. p. 125 nu. 9, An omnes constituant vnũ Sacramentum, p. 126 n. 10. Eius materia, & forma in quo consistat, & an sint duæ partiales, p. 127 à n. 11, vsque ad 14, Quid si omittatur vna ex illis, quæ sunt partiales, p. 129 n. 14. An ordinandi debeant tangere materiam, ibi. n. 15, Ad recipiendos Ordi-

Ordines, quanam ætas requiratur, p. 136 n. 16, Quo ordine sint suscipiendi. Et an qui ordinaretur per saltum maneret suspensus. Et an posset cum tali Episcopus dispensare, p. 131 n. 17, Ordinandorum obligationes referuntur, ibid. à n. 18, usque ad 21. Pro Ordinandis datur triplex titulus, p 136 n. 24, An Ordines possint conferri à Sacerdotibus non Episcopis, p. 134. n. 21. An possit cõferri quolibet tẽpore, die, & loco, p. 137 n 26. 27. & 28.

Oscula an sint licita, p. 253 n. 3. & p. 263. num. 17

P

Paganismus quid, p. 203 n. 22

Parentes tenentur educare, & alere filios, p. 223 n 2

Parochus an teneatur Sacramentum Eucharistiæ ministrare, p. 43 n. 6

Peccatum mortale quid, p. 60 num 12, In quo differat à veniali, ibid. Peccatorum cumulus an detur, p. 71 nu. 31, Peccata contra Fidem, Spem, & Charitatem, p. 203 nu. 22. Peccatum contra naturam quodnam sit, p. 261, n. 15

Pignus quid, p. 278 n. 25

Pœnitentiæ definitio, p. 54 n. 2, Eius partes quanam sint, p. 59. n. 10, An omnes essentiales,

tiales, p. 63 nu. 16, Ad hoc Sacram. requiritur attritio, & quænam, ibid à n. 17, vsque ad 23, Pœnitentia in quibus casibus possit minui, p. 80 n. 44.

Pœnitentes obligationes explicantur, p. 79 n 41. & seq.

Pollutio nocturno an sit peccatum, p. 262 n. 16

Precepta Ecclesiæ. Vide Ecclesiæ Præceptæ.

Precepta Decalogi. Vide Decalogi Præcepta.

Precarium quid, p. 278 n. 24

Pretium rerum venialium duplex, pag. 268 n. 8, An varietur mutatis circumstantijs, p. 269 n. 9

R

RApina. Vide Furtum.

Raptus quid sit, p. 259 n. 13

Restitutio quid sit, p. 271 nu. 12, Eius radices quot sint, ibid. n. 13, Quid teneatur restituere possessor bonæ fidei, quid verò malæ fidei, p. 272 n. 15, vsque ad 21. & p 286 nu. 38. & 39, Ex quibus alijs capitibus oriatur obligatio restituēdi, p. 276 n. 21. vsq; ad 27. p. 281 n. 28, & p. 282 nu. 32, & p. 286, n. 38. In restitutione quæ circumstantiæ seruandæ, p. 283 à n. 33. vsque ad 36, An possit aliquis

excusari à restitutione, p. 285 à n. 36. vsque ad 41

Reuelatio. Vide Denunciatio.

S

SAcerdos an sit Eucharistiæ minister, p. 42 n. 5, Est immediatè offerens Sacrificium, p. 45 n. 9, An possit suspendi fructus Sacrificij à Sacerdote, & an sit finitus, p 48 nu. 12. & 13, Sacerdos quoties, & quando debet celebrare, p. 49 num. 14, An possit celebrare in quouis loco, p. 50 n. 15, Quid si Ecclesia sit interdicta, vel violata: ibid. Sacerdos celebrans quid seruare debeat, p. 53 n 18, An possit dicere Missam alterius diei, ac in Missali prescribatur. Et an possit addere nouas precationes ex deuotione, Ibidem.

Sacramentum quid, p. 2 nu. 2, A quo fuit institutum, p. 4 n. 5, Sacramentalia quid, p. 5 n. 7, Sacramenti materia, & forma in quonam consistat, p. 6 nu 8, In Sacramento quis sit Minister ex Officio, p. 8 n. 9, Qua intentio sit necessaria ad perficiendum Sacrament. p. 9 nu. 11. & seq. Sacramenta in vniuersum septem, p. 14 n. 15

Sacrificium. Vide Eucharistia, & Sacerdos.

Sacrilegium quid, & in quibus casibus com-

*omittatur, p.*199 *n.*16.17.18. *& p.*188. *n.*4

*Satisfactio Sacramentalis in quibus operibus debeat esse, p.*78 *n.*39

*Scandalum quid, & quotuplex, p.*245 *n.*20.21. *& 22*

*Simonia quid. quotuplex, & quale peccatum, p.*311 *n.*1.2.3. *& 5, Quot modis contrahatur, p.*313 *n.*4, *Pœna illata contra Simoniacos an incurrantur, p.*314 *n* 7

Societas, Vide Contractus Societatis.

Sollicitatio in confessione quid, p 335 *n.*2. *sollicitationis peccatum an sit reseruatum, p.*336 *n.*3, *Sollicitati an aliquando excusentur à denunciando, p.*338. *n.*11

*Sponsalia describuntur, & quid ad illa perficienda requiratur, p.*164 *n.*37

*Stuprum quid, & an differat specie à simplici fornicatione, p.*255 *n.*5

*Subditi Episcopo tripliciter, p.*135 *n.*22

*Superstitio quid, & quotuplex, p.*188 *n.*3 *& 4, Superstitionis varia species explicantur, p.*189 *à n.* 5, *usque ad* 13

*Suspensio quid, & quotuplex, p.*19 *n.*1.2. *& 3*

*Suspicio quid, p.*292 *n.*8

T

TEntatio Dei *quid, & quot modis esse possit, p.*201, *n.*19. *& 20* Ven-

V

Vendens res ad minutum an semper peccet si aliquid plus accipiat, p. 269 n. 10. Vendere rem supra iustum pretium an possit fieri propter dilatam solutionem, p. 270 n. 11.

Verba turpia an sint graue peccatum, p. 263 n. 18.

Viaticum. Vide Eucharistia.

Virginitatis amissio ex parte viri an sit stuprum, p. 256 n. 7.

Virgo peccant contra castitatē extra fractionem signaculi virginalis an sit stuprum, ibid.

Vitium in quo differat à peccato, pag. 61. num 14.

Votum quid sit, p. 213 n. 19, An votum de nubendo teneat, ibid. Votum quando obliget, p. 214 n. 20. 21. & 22, Variæ voti diuisiones, p. 215 n. 23. 24. & 25. Quod votum sit reseruatum Summo Pontifici, p. 216, nu. 26, In Voto potest esse commutatio, dispensatio, & irritatio, ibid n. 27, An peccata contra vota possint absolui à quolibet Confessario, pag. 217, n. 28, Quinam possint irritare vota, ibi. n. 29. & 30. Vota commutare & dispensare ad quos pertineat, ibi. n. 31. & seq. An commutari possint per Bullam Cruc. p. 93 n. 19.

Vsu-

RERVM.

Vsura quid, pag. 279 n. 26. Vsurarius an sit absoluendus, p. 280. n. 27

Vsucapio quid, p. 287. num. 40. Quid requiratur ad vsucapionem, ibid. num. 41.

FINIS.

MONITORIA
DIRECTIO
PRO
ORDINANDIS,

EORVNDEMQVE EXAminatoribus, animarum Curatoribus, & Religiosis sæcularium Confessarijs.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Sumptibus IODOCI KALCOVII,

ANNO M. DC XLIV.

Cum Permissu Superiorum,

FERDINANDVS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Electus & cõfirmatus Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, S. Romani Imperij Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius, eiusdem Sedis Apostolicæ Legatus Natus : Episcopus ac Princeps Paderbornensis, Leodiensis, & Monasterienſis, Administrator Hildesheimensis, Berchtesgadensis, & Stabulensis : Comes Palatinus Rheni : vtriusque Bauariæ, VVestphaliæ, Angariæ & Bullionis Dux : Marchio Franchimontensis, Comes Pirmontensis, Lossensis, Longiensis, Sternenbergensis, & Hornensis &c. Venerabili Clero & Vniuersis ac singulis Christi fidelibus Ciuitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis salutem in Domino sempiternam.

Pastoralis nostri officij cura præsentisque temporis calamitas exigit, vt accuratissimus eorum delectus habeatur, quotquot desiderant ordinibus Ecclesiasticis initiari, cum harum miseriarũ fons & scaturigo, quibus grauissimè totus ferè Christianus Orbis premitur, &

afflictatur, à ministrorum Ecclesiæ vitâ corruptiore & moribus alienis à nomine, statuque Clericali profluxerit, & emanarit, quorum permulti prorsus inhabiles sunt ad sacrorum Ordinum functiones. Vnde mirificè nos angit & solicitos habet, vt diligenter oberuentur ea, quæ sacri Canones, Oecumenica Concilia, præcipuè Sacrosanctum Tridentinum pro Germaniæ reformatione potissimùm institutum, nec non Prouincialia & Synodalia Colonienſia de qualitatibus promouendorum ad Sacros Ordines, adiecto salubri metu censurarum & pœnarum Ecclesiasticarum, laudabiliter statuerunt. Sed cum multi rudes, & eorum Canonum prorsus ignari reperiantur, ideo ne per ignorantiam tam sciru necessariorum statutorum peccaretur, hactenus initiandis paulò ante stata generalium ordinationum tempora, nostras præsentes literas ad Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ valuas affixas iterum, iterumque publicauimus, & ne exciderent, memoriam eorum refricauimus. Quò magis in culpâ sunt & acriùs reprehendendi, qui toties publi-

publicatis statutis & decretis non obtemperant, sibi illud Christi dictum scientes: *Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit voluntatem eius, vapulabit multis.* a Cuius vt rigorem & pœnas, aliasque Censuras Ecclesiasticas euadant, quæ sequuntur, diligenter deinceps obseruari, mandamus.

a *Luc.* 12. 47.

Ordines à quo Episcopo accipiendi.

1. Inprimis itaque sciant omnes tã ad primam tonsuram, quàm Ecclesiasticos Ordines aspirantes, vnumquemque à proprio Episcopo ordinari debere, & ab executione ordinis, quem ab alieno Episcopo sine proprij sui Antistitis consensu acceperit, esse suspensum; Vicario autem nostro in Pontificalibus generalitam ex lege Diuinâ, quàm ex Prouincialibus ac Synodalibus Prouinciæ ac Diœcesis nostræ Colonienſis statutis potissimùm incumbere, vt manus citò nemini imponat, sed asciris sibi Sacerdotibus & alijs prudentibus viris, diuinæ Legis ac Sacrorum Canonum peri-

tis, atque in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, diligenter prius inuestiget & examinet ordinandorum *natales, fidem, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, titulum*, cæterasque qualitates in suscipiendis ordinibus requisitas, ne si indignos sacro Ordine initiauerit, fiat particeps alienorum peccatorum, & scandala quæ consequentur, ipsi adscribantur.

a *Conc. Trid. sess. 6. de reform. c. 5. sess 7. de reform. c 11. sess. 14. de reform. c. 2. & 3. & sess. 23. de reform. c. 3. 8. 10. Statuta Sifridi Archiepiscopi Colon. c. 9. §. item omnes &c. pag. 44. vide Fel rec. Vrbani 8. Constit. 33. Bull. tom. 4. b 1. Tim. 5. 22. c. nullus. c. quando dist. 24. Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 7. 11. & 12. Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. p. 1. c. 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 29. & 30. & sub Adolpho 3. tit. de altero Medio. c. deinde visum. c. quoniam vero pag. 431.*

Litera Dimissoriæ à quo impetranda.

II. Quare nemo Ciuitatis aut Archidiœcesis Nostræ Colonien sis vel secularis, vel Regularis ad primam tonsu-

ram

ram, aut aliquem ordinem Ecclesiasticum coram alieno a Episcopo se præsentet, nisi de speciali Nostrâ, nostríve Vicarij in Pontificalibus generalis licentia in scriptis obtentâ: neque etiam qui alterius Diœcesis est, nostro in Pontificalibus Vicario præsentetur absque Antistitis sui Diœcesani litteris Dimissorialibus, in quibus & ipsius vitæ ac morũ probitas, doctrina, cæteræque qualitates ad Ecclesiasticos ordines suscipiendos necessariæ, commendentur. Litteræ verò Dimissoriæ b ab alio, quàm à proprio Ordinario Diœcesano impetratæ nullius sint roboris seu momenti, nisi à Capitulo Cathedrali post annum à die vacantis Sedis Episcopalis, aut infra eũ annum vbi Ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione ordinandus fuerit arctatus.

a c.1.c.cum nullus.c.nullus de temp.ord in 6. Conc. Trid. sess. 23. de reform.c.3.8. & 10. Conc. Prouinc. Colon. sub Herman. 5. p.1. c.29. & sub Adolpho 3.c.statuimus.pag.432.

b Conc. Trid. sess.7. de reform.c.10.

Illegitimi nec prima tonsura, nec vllo ordine initiandi, absque dispensatione.

III. Qui non est de legitimo matrimonio natus, tum propter Clericalem dignitatem, & paterni criminis detestationem; tum etiam quia talis metuitur futurus incontinentiæ paternæ imitator, à susceptione primæ tonsuræ pariter & Ordinum reijcitur, nisi à bonâ indole, vitæque & morum probitate ac pietate ita commendetur, vt non paterni criminis sectator, sed vitâ & exemplo suo pietatis & cultus Dei apud alios speretur Zelator; quo casu ad a primã tonsuram, minores ordines atque simplex beneficium Ecclesiasticum, per Archiepiscopalem Nostram dispensationem: ad sacros verò Ordines & alia beneficia Ecclesiastica non nisi per dispensationé Sedis Apostolicæ poterit promoueri, quare is dispensationem eiusmodi super defectu naraliũ in scriptis habeat, priusquam ad Clericalem tonsuram se præsentet, alioquin ab illa repellendus.

c. inter dilectos de excess Prælat. c. proposuisti dist. 82. c sigens Anglorum dist. 56. a c. 1. de filijs Presb. in 6. Ordi-

Ordinati habeant testimonium ordinis suscepti ab Episcopo Ordinatore.

IV. Ne quis fingat se esse in aliquo ordine, in quo non sit, singulitam Regulares, etiam ordinum mendicantium, quam seculares docebunt de prima tõsura, & ordinibus susceptis testimonio Episcopi Ordinatoris per literas (quæ formatæ vulgò dicuntur) à Scriba seu Notario ipsius Episcopi subscriptas, & sigillo eiusdem Episcopi communitas, antequam ad altiorem ordinem admittantur.

Statuta Henrici Archiep. Colon. cap. 9. pag. 102. Conc. Prouinciale Colon. sub Hermanno 5. parte 1. c. 31.

Requisita in eo, qui Clericali tonsurâ initiari cupit.

V. Primâ tonsurâ nemo initietur, nisi sit origine vel Domicilio Diœcesanus nostri Colonienſis, baptizatus, sacri Chrismatis vnctione confirmatus, de legitimo toro, ex Catholicis parentibus, & vt minimum septem annos natus,

fidei Catholicæ rudimenta edoctus, legendi & scribendi, etiam linguæ latinæ iactis fundamentis, peritus, coram Nobis, seu Nostro generali in Pontificalibus Vicario testari paratus, se non iudicij sæcularis fugiendi causa, sed Deo liberiùs seruiendi, hoc primo Clericorum charactere insigniri velle; quique non habeat de his requisitis, ac de vitæ, morumque probitate & litteraturâ sufficiẽs testimonium, tum à proprio Parocho loci, vbi baptizatus fuit & notabili tempore immediatè antea degit, iuxta formulam *subsequenti n. 6. vel 7.* præscriptã, tum etiam à Magistro scholæ in qua studuit.

a *c. 1. & c. fin. de Presb. nõ bapt, c. fin. vbi glos. verb. infanti de temp. ord. in 6. Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 4. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 5. in fin. pag. 38.*

FORMVLA TESTIMONIALIUM dandarum per Pastorem loci, super natalibus, Baptismo, ætate, & Confirmatione Ordinandorum.

VI. *Vniuersis ac singulis ad quos spe-*

ctat

stat' notum facio, atque præsentium tenore testificor ego subscriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis N. loci de N. Colonienſis Diœcesis, quod N. fuerit de legitimo toro ex Catholicis parentibus N. & N. sub Parochia mea prædicta degentibus procreatus, baptizatus in eadem Ecclesia die N. Mensis N. Anni N. idemque de sacro fonte susceptus à N. & N. sicut constat ex libro, in quo nomina Baptizatorum totius huius Parochiæ annotata reperiuntur, quodque idem N. sacro Chrismate confirmatus fuerit die N. Mensis N. Anno N. à Reuerendißimo Domino N. Episcopo N. in Ecclesia N. prout patet ex libro, in quo etiam nomina Confirmatorum huius Parochiæ conscripta sunt. In cuius rei fidem hasce literas propria mea manu scripsi ac subscripsi in loco N. die N. Mensis N. Anno N.

Quando autem, deficiente libro Baptizatorum & Confirmatorum, ex depositione testium dandæ erunt eiusmodi testimoniales, dentur secundum formulam sequentem.

VII. *Vniuersis ac singulis ad quos spectat notum facio, atque præsentium tenore testificor ego subscriptus Pastor Ecclesiæ Parochialis N. loci de N. Colonienſis Diœcesis, N. fuisse de legitimo toro ex Catholicis parentibus N. & N. sub Parochia mea prædicta commorantibus procreatum, & in Ecclesia N. baptizatum, agereq; ætatis suæ annum N. nec non sacro Chrismate confirmatum à Reuerendissimo Domino N. Episcopo N. in Ecclesia seu loco N. die N. Mensis N. Anno N. prout mihi retulerunt N. & N. Parentes eius, vel Susceptores, vel viri fidedignissimi, idque iureiurando in manibus meis præstito affirmarunt, & se*

id

idscire, quia &c. nec aliter eiusdem N. *natales, Baptismus, ætas, & Confirmatio sciri potuerunt, eò quod liber baptizatorum & confirmatorum occasione bellorũ fuerit deperditus, vel laceratus, vel &c. In cuius rei fidem has litteras propria mea manu scripsi & subscripsi in loco* N. *die* N. *Mensis* N. *Anno* N.

Desiderata in ijs, qui ad minores ordines petunt promoueri.

VIII. Ad minores Ordines promouendus, non solum præditus sit omnibus qualitatibus ad primam Tonsuram suscipiendam requisitis; sed etiam eadem tonsura insignitus; & si non origine *a* aut Domicilio, saltem Ecclesiastico beneficio Diœcesanus noster Colonien sis, aut proprij sui Ordinarij Diœcesani litteris Dimissorialibus munitus, linguã latinam intelligat, & habeat quoque nõ pauciores, quam duodecim ætatis suæ annos, ac *b* bonum à Parocho suo & Magistro scholæ in qua studuit, & ab ijs etiam, apud quos potiorem vitæ partem transegit ac diuersatus est, de vitæ mo-

rumque probitate, doctrinâ, ingenio, & indole testimonium, eorumque commendatione se ea voluntate, ingenio & indole præditum doceat, vt non suæ cómoditatis gratia, sed Dei tantum causa ad capescendos ordines aspirare credatur, vitaque & exemplo suo alios ad pietatem & cultum Dei esse pertracturum speretur.

a citato c. cum nullus. b *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 5. 11. 13. & 17. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. in fin pag. 44. Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. parte 1. c. 19. & 27.*

Minoribus ordinandi seruent interstitia.

IX. Nullus se præsentet ad plures ordines minores simul suscipiendos, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur, cum extra hunc casum *a* Concilium Tridentinum voluerit temporum interstitia in minoribus non minùs, quàm maioribus Ordinibus seruari, nec quemquam ad sacrum Subdiaconatus ordinẽ ante annum elapsum ab Accolytatus susceptione promoueri, vt eò accuratiùs, quan-

quantum sit huius disciplinæ pondus, possit edoceri, & in vnoquoque Ordine se exerceat, idque in ea, cui adscriptus erit, Ecclesiâ, nisi fortè causa studiorum absit, atque ita de gradu in gradum ascendat, vt in ipso, cum ætate vitæ meritum & doctrina maior accrescat, quod & bonorum morum exemplum & assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga Presbyteros & superiores Ordines reuerentia, & crebrior, quàm antea, Corporis Christi communio maximè comprobabunt.

a *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 11. & 17. Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9. in fin. pag. 44.*

Nullius ordinis ministerium præstetur ab ab eo, qui in illo ordine non est.

Dent operam ij, quibus Diuini officij cura incumbit, vt nullius ordinis ministerium per alios exerceatur, quam per constitutos in ipso ordine, qui Clericalem habitum & Tonsuram deferant. Porrò vbi Clerici cælibes non inuenientur, qui ministerijs quatuor minorum Ordi-

Ordinum exercendis præsto sint, sufficiposſunt etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram atque habitum Clericalem in Ecclesia gestēt. *a Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 17.*

Ordinandi debent seruare interstitia, & à Pastoribus adferre testimonium de proclamationibus factis.

XI. Qui verò ad ordines maiores se præsentare voluerint, multò magis intelligant sibi in re tanti momenti non esse festinandum, sed ea, quæ in Sacrosancto Concilio Tridentino de singulis Ordinibus per temporum interstitia cōferendis, & ordinatis in vnoquoque ordine exercendis ac probandis sancita sunt, exactissimè esse seruanda. *a* Quin etiam per mensem ante ordinationem Parochum suum adeant, vt is iuxta præscriptum Concilij Tridentini, *b* ac Statuta decessoris nostri Adolphi 3. Archiepiscopi Colonienſis *c* nominibus ac desiderio eorum, trinâ proclamatione, tribus diuersis Dominicis aut festis diebus,

bus, publicè in templo propositis, instar proclamationum matrimonialium, omnes moneat, vt si quod nouerint Canonicum impedimentum, ob quod, qui volunt ordinari, à suscipiendis ordinibus repelli debeant, denuntient, idemque Parochus de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, vitâ & moribus, à fidedignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales clausas & consignatas ipsam proclamationem & inquisitionem factam continentes, ad Nostrum in Pontificalibus Vicarium quamprimũ transmittat, vel Ordinandis ad eum perferẽdas tradat, cum declaratione num aliquod Canonicum impedimentum (ob quod ad sacros Ordines admitti non debeant) sit denunciatum, & qui de eis non docuerit, reijciatur.

a *Conc. Trid sess. 23. de reform. cap.* 11. 13. & 14. b *Conc Trid. sess. cit. cap* 5. c *Statuta Adolphi* 3. *Archiep. Colon. pag.* 432. §. *quoniã non oportet. & pag.* 486. *col.* 1 § *fin.*

Quo modo & tempore trina proclamatio fieri debeat.

XII. Salubris hæc Concilij Tridentini

Ordinum exercendis præsto sint, sufficiposſunt etiam coniugati, vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, & qui Tonsuram atque habitum Clericalem in Ecclesia gestēt. *a Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 17.*

Ordinandi debent seruare interstitia, & à Pastoribus adferre testimonium de proclamationibus factis.

XI. Qui verò ad ordines maiores se præsentare voluerint, multò magis intelligant sibi in re tanti momenti non esse festinandum, sed ea, quæ in Sacrosancto Concilio Tridentino de singulis Ordinibus per temporum interstitia cōferendis, & ordinatis in vnoquoque ordine exercendis ac probandis sancita sunt, exactissimè esse seruanda. *a* Quin etiam per mensem ante ordinationem Parochum suum adeant, vt is iuxta præscriptum Concilij Tridentini, *b* ac Statuta decessoris nostri Adolphi 3. Archiepiscopi Colonienſis *c* nominibus ac desiderio eorum, trinâ proclamatione, tribus diuersis Dominicis aut festis diebus,

bus, publicè in templo propositis, instar proclamationum matrimonialium, omnes moneat, vt si quod nouerint Canonicum impedimentum, ob quod, qui volunt ordinari, à suscipiendis ordinibus repelli debeant, denuntient, idemque Parochus de ipsorum Ordinandorum natalibus, ætate, vitâ & moribus, à fidedignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales clausas & consignatas ipsam proclamationem & inquisitionem factam continentes, ad Nostrum in Pontificalibus Vicarium quamprimũ transmittat, vel Ordinandis ad eum perferẽdas tradat, cum declaratione num aliquod Canonicum impedimentum (ob quod ad sacros Ordines admitti non debeant) sit denunciatum, & qui de eis non docuerit, reijciatur.

a *Conc. Trid sess. 23. de reform. cap.* 11. 13. & 14. b *Conc Trid. sess. cit. cap* 5. c *Statuta Adolphi* 3. *Archiep. Colon. pag.* 432. §. *quoniã non oportet. & pag.* 486. *col.* 1 § *fin.*

Quo modo & tempore trina proclamatio fieri debeat.

XII. Salubris hæc Concilij Tridentini

tini Ordinatio vtiliter seruari poterit, si ad singulos maiores ordines proclamatio & inquisitio huiusmodi fiat, videlicet *Primò*, pro Ordine Subdiaconatus, ad excludendum eos, qui maioribus forte criminibus inuoluti sunt: & ad deprehendendum eorum fraudes, qui matrimonij vinculis, aut illicitis pollicitationibus implicati, ad ordinem sacrum subdolè se ingerunt: *Secundò*, pro Ordine Diaconatus: *Tertiò*, pro Ordine Presbyteratus. Quæ inquisitiones eò pertinere creduntur, vt aptius, iuxta Pontificale, cohæreant, quæ de testimonio populi, in suscipiendis Ordinibus, ex veteri sanctæ Matris Ecclesiæ consuetudine requiruntur.*a*

a *Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. p. 1. c. 19. Pontifi. Rom tit. de Ordinat. Presbyt.*

XIII. Parochus ergo cum primum resciuerit suorum aliquem sacris initiari velle, statim Dominico vel Festo die inter Missarum solennia denunciationem faciat in hanc sententiam, vernaculâ linguâ.

For-

Formula faciendi denunciationes pro ordinando.

Notum sit Dilectioni Vestræ, quod die N. Mensis N. fient sacræ ordinationes in Ecclesia N. quodque N. N. filius N. Deo adiuuante intendat suscipere sacrum Ordinem N. titulo perpetui beneficij Ecclesiastici valoris annui quadraginta Dalerorum Colonienſium, quod sub invocatione seu ad Altare S. N. in Ecclesia N. loci N. Canonicè, verè ac pacificè, absque vlla lite seu vitio obtinere dicitur. Quapropter admonemus omnes ac singulos, tàm hic præsentes, quàm absentes, vt si quis sciat aliquem defectum vel quodvis aliud sub. sse impedimentum, propter quod ille N. non debeat prædicto sacro Ordine N. initiari, vel sciat illum non legitimè, vel non pacificè beneficium supradictum possidere, aut annuos ipsius beneficij reditus & obuentiones quotannis ad quadragin-

draginta daleros Colonienſes non accedere, hoc ipſum quamprimum Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Ordinatori, vel mihi indicet, idque admonemus primò, ſi fuerit prima; vel ſecundò, ſi fuerit ſecunda, vel tertiò, ſi fuerit tertia denunciatio.

Si ordinandus ſit aliquis abſque titulo Beneficij, omittantur in prædicta forma, quæ faciunt mentionem Beneficij.

Formula teſtimonialium per Paſtorem loci dandarum ſuper denunciationibus factis pro Ordinando.

XIV. *Vniuerſis ac ſingulis ad quos ſpectat notum facio, atque teneore præſentium t. ſtificor ego ſubſcriptus Paſtor Eccleſiæ Parochialis N. loci de N. Colonienſis Diœceſis, quod die N. Menſis N. Anni N. inter Miſſarum ſolemnia, dum frequens adeſ-*

adesset populus, denunciauerim N. filium N aspirare ad sacrum Ordinem N. ad titulum perpetui beneficij Ecclesiastici, valoris annui quadraginta Dalerorū Colonensium, quod sub inuocatione seu ad Altare Sancti N. in Ecclesia N. loci N. Colonensis Diœcesis canonicè, verè ac pacificè sine vlla lite, vitio ve obtinere dicitur, vt si quis sciret aliquam subesse fraudem fictionem, vel defectum in titulo beneficij, aut illius annuo valore, aut quodcunque ipsius N. vitium seu impedimentum, propter quod non debeat ipse N. ad prædictum sacrum Ordinem N. promoueri, quamprimum Reuerendißimo Domino Episcopo Ordinatori aut mihi significaret; neque hucusque quidquam significatum fuit, vel detectum, quod videatur impedire posse, quo minus prædictus N. ad supradictum sacrum ordinem N. promoueri posßit. In quorum fidem hasce litteras propria manu scripsi ac subscripsi. In loco N. die N. Mensis N. Anno N. XV.

Quinam ordinum sint incapaces.

XV. Verùm ne denunciationes & inquisitiones huiusmodi fructu suo careant, non satis est, eas vtcunque fecisse, sed Parochus proclamationem & inquisitionem faciens, eodem tempore etiam populo explicabit, quinam ordinari à Sacris Canonibus prohibeantur: prohibentur autem hi.

1. Alienæ Diœcesis subditus absque Diœcesani sui Antistitis literis Dimissorialibus. *c. cum nullus. c. nullus de temp. ord. in 6. Conc. Trident. sess. 23. de reform. c. 8.*

2. Non baptizatus, quia baptismus est omnium aliorum Sacramentorum ianua & fundamentum, *c. 1 & 3. de Presb. non baptiz. c. 2. de cognat. spirit. in 6.*

3. Baptizatus in ægritudine; non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est; nisi fortè postea studium & fides eiusdem probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit. *c. 1. dist. 57.*

4. Baptizatus apud hæreticos, si modo adultus fuerit, non infans: nam huic parentum error nihil officit. *c. qui in quacunque 1. q. 7. c. placuit cum seq. 1. q. 4.*

5. Rebaptizatus vel rebaptizãs. *c. con-*

firman-

firmandum dist. 50. c. qui bis & ibi glos. de consec. distinct. 4. cap. 2. de Apostatis.

6. Neophytus *c. 1. & 2. dist. 48. c. communiter dist. 33. c. fin. dist. 51.*

7. Sacro Chrismate non confirmatus. *Conc. Trid sess. 23. de reform. c. 4.*

8. Mulier, tanquam ordinis prorsus incapax, *c. mulieres dist. 32. c. noua de pœnit. & remiss.*

9. Hermaphroditus. *DD. in c. si testes. §. Hermaphroditus 4. q. 2. c. 1. dist. 36.*

10. Illegitimè natus, *c. 1. c. 2. c. ad hæc. c. fin. de fil. presb. c. cum in cunctis de elect. c. consuluit de seruis non ordin.*

11. Hæreticorum filius vsque ad secundam paternam & primam maternã generationem. *c. vergentis de Hæret. c. quicunque. c. statutum de Hæret in 6.*

12. Amens, Arreptitius, Energumenus, & qui aliquando in furorem actus, vel à Diabolo exagitatus fuit, aut Comitiali morbo obnoxius, vel alia infirmitate corporis perpetua laborans. *c. mæstum. c communiter. c. Clerici & seq. dist. 33. c. in tuis literis. 7. q. 2.*

13. Leprosus, vel enormem scabiem perpetuò habens. *c. hinc etenim. dist 49.*

14. Mi-

14. Minor natu. *c. in singulis dist. 77. c. fin. & ibi glos. de temp. ord. in 6.*

15. Illiteratus, & ignarus eorum, quæ ad ordinem, quem petit, requiruntur. *c. præcipimus dist. 34. c illiteratos dist. 36. c. Sacerdotes dist. 49. c pœnitentes dist. 50. c. fin de ætat & qualit. ordin. et c fin. de temp. Ord. in 6.* Quæ autem & quanta literarū cognitio in singulis ordinibus requiratur, explicatius definit. *Conc. Trid. sess. 23. de reform.* videlicet de prima tonsura *c. 4.* quo ad minores ordines *c. 11.* & quo ad Subdiaconatum, ac Diaconatum *c. 13.* quoad Presbyteratum *c. 14.*

16. Infra debitam, & à Concilio Trid. præscripram ætatem non constitutus. *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 12.*

17. Sufficientem titulum beneficij, patrimonij, vel pensionis non habens. *dist. 70. per totam c. cum secundùm c tuis de præb. c accepimus de ætat. & qualit. ordin. Conc. Trid. sess. 21. de reform. c. 2. sess. 23. de reform c. 16.*

18. Seruus, originarius, curialis, aut simili conditioni obnoxius, nisi prius à Domino suo fuerit manumissus, & directam libertatem consecutus. *c. præcipimus.*

mus. dist. 34 c. nullus. c. nulli c. si quis obligatus. c quis aut. c. generalis. c. admittuntur dist. 54. c. 1. c de seruorum c consuluit de seruis non ordin.

19. Qui reddendis rationibus publicis obnoxius est, ante officium finitum & rationes redditas. *c. præcipimus, dist. 34. c. 1. & 2. dist. 51. c. legem. dist. 55. c. magnus dist. 54. c. 1. de oblig ad ratio. ord.*

20. Matrimonij vinculo obnoxius. *dist. 27. 28. & 32. per tot. & c coniugatus de conuers. coniug.*

21. Truncatus, mutilatus, aut corpore vitiatus, & notabilem aliquem corporis defectum seu deformitatẽ patiens, quæ in scandalum publicum vergere possit, siue sponte siue alieno facto, siue fortuitu ea deformitas obtigerit. *c. quipartem. c si Euangelica dist 55. per totum tit. de corpore vitiatis.*

22. Bigamus. *c. maritum dist. 33. c. præcipimus dist. 34 c nullus dist 50. c. 1. & 2. de big non ordin.*

23. Qui vxorem adulteram retinuerit, cognouerítque, siue scienter, siue ignoranter *dist 34. per totam.*

24. Lapsus post ordinem susceptum.

cap. 1. cap. qui semel. c. si post. distinct. 50.

25. Qui in ordinibus malè susceptis, vel nondum susceptis ministrauit, *c. 1. & 2. de Cler. nond. Ord. ministr.*

26. Furtim per saltum promotus. *c. innotuit de eo qui furt. ord. susc. c. 1. de Cler. per saltum promot. Conc. Trid. sess 23. de ref. c. 14. in fin.*

27. Aleæ, ebrietati, gulæ, aut impudicitiæ deditus *c. vt Clericorum. c. à crapula de vita & honest. Cler. c. inter dilectos de excess. Prælatorum.*

28. Qui publicam ac solemnem pœnitentiam egerit. *c. maritum dist. 33. c. pœnitentes. c. illud quoque c. in capite. c. planctuit.*

29. Vsurarius, Simoniacus, Sacrilegus *c. maritum dist. 33. c. Clerici de vita & honest Cler.*

30. Qui ex ira vel desperatione violentas sibi manus intulit, vel sponte sibi aliquod membrum præscidit, cùm hic sui homicida sit & Dei conditionis inimicus. *c. qui partem. c. si quis abscindet c. hi qui dist. 55.*

31. Qui culpa sua hominem occiderit, aut mutilauerit *c. miror. c. Clericum. dist.*

dist. 50. *c.* 1. *c. continebatur. c. de cæteris de homic Conc. Trid. sess.* 14. *de ref. c.* 7.

32. Imo quisquis per iustitiam seu iusto iudicio cooperans id fecerit. *c. aliquantos dist.* 51.

33. Graui aliquo crimine irretitus, vt Hæreticus, Schismaticus, Apostata, qui deseruit susceptam à se Christianam fidem, vel Monasticam Religionem, vel sacrum ordinem, etiam postquam reconciliatus fuerit, *c. de liguribus.* 23. *q.* 5. *c.* 1. *& 2. de schismat. c. quicunque c. statutũ de Haret. in* 6. Adulter, periurus, Falsarius, alijque similes de quibus. *c. infames* 6. *q.* 7. *& 1 q.* 7. *per totum.*

34. Denique quiuis alius criminosus, infamis, irregularis aut excommunicatus maiori excommunicatione, suspensus ab ordine, interdictus sub pœna suspensionis ab ordinis sic susceptι executione, aut depositionis in perpetuum, & durante excommunicatione, suspensione, vel interdicto. *Nauar. in Manual. cap.* 27. *n.* 12. 24. *&* 244.

Pastores & Concionatores populum ad precandum pro ordinandis hortabuntur.

XVI. Quin & vniuersus populus à Pastoribus & Concionatoribus Dominico die quamlibet sacram ordinationẽ generalem proximè antecedente commoneatur, vt, cum plerumque pro merito populi disponatur ordinandorum electio, ieiunijs iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ in hunc finem ante singulas ordinationes indictis, *a* nec non pijs sanctisque precibus, toto corde ad Deum conuertatur, suaque humiliatione & conuersione ab eo impetret, vt Episcopi, eorumque coopitulatores, in examinandis, deligendis & ordinandis Ecclesiæ Ministris, suo recte perfungantur officio, talesque producendos in messem suam operarios subministret, qui ei secundum cor suũ & animam suam, in omni sanctitate & iustitiâ, omnibus diebus vitæ suæ in munere suo seruiant.

a *Act.* 13. & 14. *Catechismus Rom. parte 2. c. 7. n. 26.*

XVII.

XVII. Ne quis statim à stiuâ ad sacros Ordines promoueatur, & qui paulò antè adhuc totus sæcularis erat, cum scandalo & offensione populi breui post temporis interuallo Sacerdos ordinetur, antequam satis probatus sit, & in vnoquoque munere, iuxta approbatos à Sancta Ecclesia Catholica ritus & cæremonias exercitatus; volumus vt nemo deinceps Subdiaconus, vel Diaconus ad superiorem Ordinem promoueatur, nisi ante Bartholomæi Gauanti Commentarium in Rubricas Missalis, vel Compendium Cæremoniarum in celebratione Diuinorum officiorum obseruandarum ex præscripto Cæremonialis ac Missalis Romani Antvverpiæ excusum, & Directorium Sacerdotale, continens ritus ac regulas Missas deuotè celebrandi, atque ministrandi, Coloniæ editum, sibi comparauerit, & ex ijsdem ritus atque cæremonias Sacrificij Missæ priuatæ ac solemnis perfectè didicisse, in examine ordinandorum debitè probauerit, nec non iuxta eorundem præscriptum, in Ecclesia, cui ordinandus est adscriptus,

aut alia, Ordinis, in quo est cõstitutus, ministerio laudatè fuerit functus; vetat enim antiquitùs in Ecclesia Dei obseruata consuetudo, eos ad superiores Ordines promoueri, qui in minorum functione se non declarauerint idoneos.

Ad Ordines sacros non admittentur nisi qui attulerint testimonia hic prascripta.

XVIII. Sciant igitur promouendi ad singulos Ordines maiores neminẽ à nostro in Pontificalibus Vicario deinceps Ordinandum, nisi examinandus exhibeat eidem nostro Vicario fidedigna testimonia, quod à nouissimo ordine susceptо honestè ac laudabiliter vixerit, Clericalem habitum ac Tonsuram semper detulerit, horas Canonicas quotidie recitauerit, in ordinibus susceptis se ritè & debitè exercuerit, sæpius sacram Eucharistiam sumpserit, atque nouas proclamationes (*sicut supra n.13. & 14. & seq. præscribitur*) fieri curauerit in Ecclesia Parochiali sub

quâ

quâ habitat: Item niſi teſtimoniales literas habeat ætatis ſuæ per Parochum inſpecto libro Baptiſmali, aut auditis parentum vel ſuſceptorum, vel ijs deficientibus aliorum fidedignorum teſtiũ depoſitionibus, fideliter expeditas *ſecundum formulas ſupra n. 6. & 7. annotatas*, tituliq; ſufficientis documẽta.

1. *AEtas ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum & Presbyteratum ſeruanda etiam per Regulares examinandos ab Epiſcopo.*
2. *Ordinatorũ ante ætatem, extra tempora à iure ſtatuta, & ſine literis Dimiſſoriis, Pœnæ.*

XIX. Circa Ordinandorum ætatẽ ſeruetur Decretum Concilij Tridentini, *a* nimirum vt nullus ad Subdiaconatus ante vigeſimum ſecundũ, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintũ ætatis ſuæ annum inchoatum promoueatur. Neque ſinguli in ea ætate conſtituti debent ad hos ordines aſſumi, ſed digni duntaxat, & quorum probata

vita senectus sit. Regulares quoque nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi examine, quemadmodum in eodem Concilio Tridentino *a* præscriptum est, ordinentur: priuilegijs quibuscunque, quoad hoc, penitus exclusis. Si quis autem vel sæcularis, vel Regularis absque speciali dispensatione Apostolica, ante huiusmodi ætatem ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerit promoueri, à suorum ordinum executione ipso iure sit suspensus; & si eâ suspensione durante, in ijsdem Ordinibus ministrare præsumpserit, eo ipso irregularitatem incurrat, præter alias pœnas, in tales generaliter à iure inflictas, Beneficijs Ecclesiasticis, quæ obtinet, potest iure priuari; quæ omnia & singula ex Constitutione fel. rec. Pij secundi Pontificis Maximi *b* etiam in ijs locum habent, qui extra tempora à iure statuta, vel absque literis Dimissoriis Antistitis sui Diœcesani sacris Ordinibus se ingerunt.

a *Conc. Trid. sess 23. de reform c 12. Conc. Prouinc. Colon sub Henrico Archiep. ca. 8. pag. 80 & 98. col 2.* b *Pij Papæ 2. Constitutio 7. tom. 1. Bullarij.* Nemo

Nemo ordinandus est absque Canonico titulo beneficiali pacificè possesso.

XX. Cum nullus ad ordines titulo beneficij Ecclesiastici quantumuis opimi promoueri debeat, nisi canonicã institutionem, & pacificam possessionem eiusdem beneficij se obtinere antea probauerit; *a* idcirco qui ad Ordinem Subdiaconatus se præsentare voluerint, maturè prius examinata illius muneris, ad quod aspirant, dignitate, & si onus quod vltrò appetunt (nempe perpetuam castitatem seruandi, & Dei seruitio atque Ecclesiæ ministerio se totos mancipandi) vires eorum, Deo adiuuante, excedere non sperent, compareant aliquot diebus ante ipsam ordinationem, coram nostro in Pontificalibus Vicario, cum documentis collationis seu institutionis, possessionis; nec non annui valoris sui beneficij, ad cuius titulum promoueri intendũt: quæ si sufficientia iudicauerit, hoc suo scripto testabitur, ne cum ad examen vitæ & doctrinæ venitur, hæc inquisi-

tio, eundem nostrum Vicarium seu Examinatores ad id deputatos diutius remoretur.

a *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 2. Conc. Prouinc. Colon sub Hermanno 5. parte prima. c. 30.*

Titulus Ordinandorum qualis, & plura quæ eò spectant.

XXI. Titulus beneficialis sit annui reditus quadraginta, vt minimum, Dalerorum Colonienſium, omnibus oneribus deductis, qui titulus in Regiſtro Epiſcopi Ordinatoris & literis ordinati diſertè exprimatur. Et quò fraudibus ordinatorum occurratur, qui ſuum titulum ſæpè reſignant contra prohibitionem Concilij Tridentini, a quod expreſsè declarat, huiuſmodi titulum reſignari non poſſe, niſi factâ mentione, quod ad illum titulum reſignans ſit ordinatus, neque eam reſignationem poſſe admitti, niſi conſtito, quod reſignans aliunde viuere commodè poſſit, & aliter factam reſignationem nullam eſſe; volumus vt quili-

a *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 2. & ſeſſ. 25. de reform. c. 16.*

quilibet ordinandus titulo beneficij æquè ac patrimonij, præstet coram nostro in Pontificalibus Vicario iuramentum hoc.

Ego N. iuro, quod titulum, quem pro futura mea promotione ad sacros Ordines exhibeo, verè ac pacificè absque vlla fraude seu lite possideam, quodque illum non resignabo, vel alienabo, nisi mihi de alio sufficienti titulo beneficiali sit prospectum: neque tunc quidem aliter, quàm cum scitu & consensu Summi Pontificis Romani, vel Reuerendissimi mei Archiepiscopi ac Principis Electoris Coloniensis, in literis ipsius resignationis, aut alienationis specialiter exprimendo: item quod titulũ illum, qui in locum prioris tituli successerit, absque simili consensu non resignabo vel alienabo. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Monitio ad initiandos ordine Diaconatus.

XXII. Ad Ordinem Diaconatus pro-

mouendi, diligenter secum perpendant ad quantum gradum Ecclesiæ ascendãt, nam vt olim Leuitæ arcam fœderis, ita nunc ipsi Ecclesiam Dei portare & munire debent, ornatu Sancto, prædicatu diuino, exemplo perfecto, vt verè testẽtur se esse Leuitas, hoc est assumptos à carnalibus desiderijs, & à terrenis concupiscentijs, quæ militant aduersus animam, vt hæreditas & tribus amabilis Domini esse mereantur, & tanquam ministri & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini sint ab omni illecebrâ carnis alieni, & quibus Euangelium ore annunciant, viuis operibus exponant, habeantque pedes suos calceatos Sanctorum exemplis, in præparationem Euangelij pacis. *Pontificale Rom. tit. De Ordinatione Diaconi.*

Monitio ad initiandos Presbyteratus ordine.

XXIII. Qui verò ad sacrum Presbyteratus ordinem se præsentare intendunt, meminerint, quod cum magno timore ad tantum gradum ascendendum est,

est, atque prouidendum, vt cœlestis sapientia, probi mores, & diuturna iustitiæ obseruatio ad id electos commendent, & aduocati in adiutorium Episcoporum cognoscant quod agunt, imitentur quod tractant, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra sua à vitijs & concupiscentijs suis omnibus procurent: sitque doctrina eorum spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei, eluceat in eis totius formæ iustitiæ, vt bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. *Pontificale Rom. tit. de Ordinatione Presbyteri.*

Testimoniales requisitæ ab ijs qui in Collegiata sunt beneficiati, vel in Gymnasio degunt: Item à Religiosis quibuscunque.

XXIV. Insuper quilibet maioribus insigniendus ordinibus, si sit sæcularis, & in Ecclesia Collegiata cive subiecta

reſideat, à Decano illius Capituli, vel eo abſente, ab ipſomet Capitulo; ſi in Collegio, vel Gymnaſio aliquo degat, ab illius Præſide ſeu Regente, aliàs à proprio Parocho adferat teſtimoniales literas laudabilis vitæ anteactæ, doctrinæ, & exercitij in ordinibus ſuſceptis, etiam veſtium collaribus ſub amictu tectis, piè & ritè facti; horarum Canonicarum recitatarum, geſtationis habitus atque tonſuræ clericalis; quibus addi quoque volumus, quod nulla cenſura, nulla irregularitate, nulloque alio Canonico impedimento ſit irretitus: Religioſus etiã ordinum mendicantium à ſuo ſuperiore ſimile teſtimonium in ſcriptis exhibeat; & teſtimonium huiuſmodi non habens, ne quidem ad examen admittatur.*a*

a Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 12. 13. & 14. Concil. Prouinc. Colon. ſub Hermanno 5. part. 1. c. 19. 22. 23. & 25. & ſub Adolpho 3. tit. De altero medio cap. 5. pag. 432. col. 2.

Regulares exhibeant ſui ſuperioris teſtimoniales de profeſſione emiſſa, eamque iurent ſponte factam eſſe aut ratam.

XXV. Quemadmodum Clericus ſecularis,

eularis, quamuis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ, & ætate, ad sacros Ordines promouendus non est, nisi prius legitimè docuerit *a* prouisum sibi esse de sufficienti titulo beneficiali, vel patrimoniali; & insuper iurauerit quod titulum illum, quem pro futurâ suâ promotione exhibet, verè & pacificè absque vlla fraude seu lite possideat: & antè nolit dimittere, quam ei de alio sufficienti beneficiali Canonicè fuerit prouisum. Ita quoque Clericus Regularis testimonio sui superioris antè docere debet, se Religionis, cui adscriptus est, professionem emisisse; & præterea iureiurãdo affirmare se eam spontè fecisse, aut ratam habuisse; illudque in Registro Ordinatorum diserte exprimatur.

a *c. cum secundum c. tuis. De Præben Conc. Trid. sess. 21. de reform c. 2. Statuta VValrami Archiep. Colonien. c. 20 pag. 129. Concil. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5 p. 1. cap. 30. pag. 347.*

Ordinandi quando, & vbi comparere debeant

beant ad examen: & quales ad examen non admittendi.

XXVI. Quotquot aspirant ad primã Tonsuram, vel Ordines minores seu maiores, se cum requisitis documentis sistant manè feriâ quartâ vel quintâ ante ipsam ordinationem, & nomina sua inscribi procurent in Domo Vicarij nostri in Pontificalibus generalis, vt præhabitâ ab eo in scriptis licentiâ, deinde iuxta præscriptum Concilij tam generalis Tridentini, quam Prouincialis ac Synodalis Colonienſis, horâ & loco ad id constituturis, examinentur. *a* Ad examen verò nulli pateat aditus, qui non honesto fuerit indutus habitu, & conueniente pro Ordinis sui ratione Tonsurâ insignitus Clericali.

a *Conc. Trid sess 23. de reform. c. 7. & 12. in fin. Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. p. 1. c. 22. 24. & 25. & sub Adolpho 3. Archiep. Colon. Medio 2. c. Mandamus vt &c. pag. 432.*

Ordinandorum examini Vicarius in Pon-

tifi-

tificalibus generalis interesse debet, & præesse.

XXVII Quoniam Apostolo præcipiente manus citò nemini imponenda est, *a* & ab Ordinãdorum examine Ordinandorum prorsus pendet electio; cordi debent esse vel maxime Vicario nostro Colonienſi in Pontificalibus generali, tanquam huic muneri in partem solicitudinis nostræ Archiepiscopalis potissimum delegato, ea, quæ ad Examẽ hoc ritè instituendum, & ad principia sua reuocandum in Concilijs Prouincialibus ac Synodalibus sub decessoribus nostris Hermanno 5. Adolpho 3. & alijs Archiepiscopis Colonienſibus *b* laudabiliter sancita sunt & decreta. Et quamuis Concilia hæc permittant, vt idem noster Vicarius adiutores & socios in hoc examinationis munere habeat, volunt tamen omninò, vt primas solicitudinis partes teneat, nec quæ ipsi ante omnia agenda erunt, alijs penitus ita committat, vt interim ipse omnium incertus, si indignos temerè sacro Ordine initiauerit, fiat particeps alienorum peccato-

catorum, & offendicula quæ consequẽtur, ipsi adscribantur. Quare inhærentes Decretis tam dicti generalis Tridentini, quam Prouincialium ac Synodalium Colonienſium Conciliorum, volumus omnino & serio mandamus, vt ordinãdorum examini generalis noster in Pontificalibus Vicarius, cum cæteris Examinatoribus deputatis non tantùm interſit (quandocunque per alias ſuas occupationes grauiores commodè potuerit) ſed & eidem Examini vice & auctoritate noſtra præſit; ac quæ ex antiquis & nouis Patrum ſanctionibus, de qualitatibus Ordinandorum in Oecumenico Tridentino atque Prouincialibus & Synodalibus Colonienſibus Concilijs [b] præſcripta ſunt, ſtudioſè magnaque cum diligentiâ, in vſum & conſuetudinem deducat, & non fruſtra, ſicut ante hac (perinde ac ſi iſta cura ad eum non pertineret) hæc præſcripta & toties repetita eſſe patiatur.

[a] 1. *Timoth.* 5. 22. *c. nullus. c. quando dist.* 24. *Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 7. 11. *&* 12.

[b] *Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno* 5. *p.* 1. *c.* 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 29. *&* 30. *&* sub

& sub Adolpho 3. Medio 2. c. deinde visum &c. c. quoniam vero &c. c. quoniam non oportet. c. mandamus pag. 431. & 432. Synodus Colon. Anno 1612. secunda Octobris celebrata, tit. 3.

XXVIII. Quilibet autem Examinatorum, antequam recipiatur, præstabit coram nostro in Pontificalibus Vicario, sequens fidelitatis Iuramentum.

Iuramentum ab Examinatoribus præstandum.

Ego N. ad munus Examinis Ordinandorum assumptus, iuro ac promitto obedientiam, reuerentiam & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reuerendissimo Domino N. Archiepiscopo & Principi Electori Colonienſi, eorundemque Successoribus. Item iuro & promitto me in eo munere, omni humana affectione depositâ fore fidelem, ac diligenter inuigilaturum, ne quispiam indoctus, inidoneus, aliusque quin agis destructurus, quàm aedificaturus

beant ad examen: & quales ad examen non admittendi.

XXVI. Quotquot aspirant ad primã Tonsuram, vel Ordines minores seu maiores, se cum requisitis documentis sistant manè feriâ quartâ vel quintâ ante ipsam ordinationem, & nomina sua inscribi procurent in Domo Vicarij nostri in Pontificalibus generalis, vt præhabitâ ab eo in scriptis licentiâ, deinde iuxta præscriptum Concilij tam generalis Tridentini, quam Prouincialis ac Synodalis Colonienſis, horâ & loco ad id constituturis, examinentur. *a* Ad examen verò nulli pateat aditus, qui non honesto fuerit indutus habitu, & conueniente pro Ordinis sui ratione Tonsurâ insignitus Clericali.

a *Conc. Trid sess 23. de reform. c. 7. & 12. in fin. Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno 5. p. 1. c. 22. 24. & 25. & sub Adolpho 3. Archiep. Colon. Medio 2. c. Mandamus vt &c. pag. 432.*

Ordinandorum examini Vicarius in Pon-

tifi-

tificalibus generalis interesse debet, & præesse.

XXVII Quoniam Apostolo præcipiente manus citò nemini imponenda est, *a* & ab Ordinãdorum examine Ordinandorum prorsus pendet electio; cordi debent esse vel maxime Vicario nostro Colonienſi in Pontificalibus generali, tanquam huic muneri in partem solicitudinis nostræ Archiepiscopalis potissimum delegato, ea, quæ ad Examẽ hoc ritè instituendum, & ad principia sua reuocandum in Concilijs Prouincialibus ac Synodalibus sub decessoribus nostris Hermanno 5. Adolpho 3. & alijs Archiepiscopis Colonienſibus *b* laudabiliter sancita sunt & decreta. Et quamuis Concilia hæc permittant, vt idem noster Vicarius adiutores & socios in hoc examinationis munere habeat, volunt tamen omninò, vt primas solicitudinis partes teneat, nec quæ ipsi ante omnia agenda erunt, alijs penitus ita committat, vt interim ipse omnium incertus, si indignos temerè sacro Ordine initiauerit, fiat particeps alienorum peccato-

catorum, & offendicula quæ consequẽtur, ipsi adscribantur. Quare inhærentes Decretis tam dicti generalis Tridentini, quam Prouincialium ac Synodalium Colonienſium Conciliorum, volumus omnino & serio mandamus, vt ordinãdorum examini generalis noster in Pontificalibus Vicarius, cum cæteris Examinatoribus deputatis non tantùm interſit (quandocunque per alias ſuas occupationes grauiores commodè potuerit) ſed & eidem Examini vice & auctoritate noſtra præſit; ac quæ ex antiquis & nouis Patrum ſanctionibus, de qualitatibus Ordinandorum in Oecumenico Tridentino atque Prouincialibus & Synodalibus Colonienſibus Concilijs [b] præſcripta ſunt, ſtudioſè magnaque cum diligentiâ, in vſum & conſuetudinem deducat, & non fruſtra, ſicut ante hac (perinde ac ſi iſta cura ad eum non pertineret) hæc præſcripta & toties repetita eſſe patiatur.

[a] 1. *Timoth.* 5. 22. *c. nullus. c. quando dist.* 24. *Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. c.* 7. 11. *&* 12.

[b] *Conc. Prouinc. Colon. sub Hermanno* 5. *p.* 1. *c.* 16. 17. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 29. *&* 30. *&* sub

& sub Adolpho 3. Medio 2. c. deinde visum &c. c. quoniam vero &c. c. quoniam non oportet. c. mandamus pag. 431. & 432. Synodus Colon. Anno 1612. secunda Octobris celebrata, tit. 3.

XXVIII. Quilibet autem Examinatorum, antequam recipiatur, præstabit coram nostro in Pontificalibus Vicario, sequens fidelitatis Iuramentum.

Iuramentum ab Examinatoribus præstandum.

Ego N. ad munus Examinis Ordinandorum assumptus, iuro ac promitto obedientiam, reuerentiam & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reuerendissimo Domino N. Archiepiscopo & Principi Electori Colonienſi, eorundemque Successoribus. Item iuro & promitto me in eo munere, omni humana affectione depositâ fore fidelem, ac diligenter inuigilaturum, ne quispiam indoctus, inidoneus, aliusque quin agis destructurus, quàm aedificaturus

rus esset Domum Dei ad vllum sacrum Ordinem suscipiendum à me approbetur, sciens quod non solum coram ipso Summo Pontifice, ac Reuerendißimo Domino Archiepiscopo, sed coram Deo præcipuè & Pastore Pastorum Christo, eius rationem reddere tenear, si in admißione talium laxior fuero. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

Nullus porrò Examinatorum valeat sui loco alium substituere, nisi cum nostro, nostríve in Pontificalibus Vicarij generalis præscitu & consensu; atque præmisso per substitutum simili iuramento.

Nihil ab Ordinandis etiã spontè oblatum occasione examinis vel ordinationis accipiendum.

XXIX. Cum nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa exigendum sit, nec

nec etiam spontè oblatum accipiẽdum; & Oecumenica Synodus Tridentina omnem contrariam consuetudinem etiã immemorabilem, tanquam corruptelam & abusum Simoniacæ prauitati suffragantẽ expressè cõdemnet: idcirco caueant non tantum ordinum Collatores, sed etiam omnes & singuli ordinandorum Examinatores, eorumque famuli, ministri, Scribæ, & Notarij, ne ab examinandis ad sacros Ordines suscipiendos, ante vel post illorum examen, seu ordinationem quouis prætextu occasione examinis prædicti, vel collationis ordinum quicquam prorsus exigant; imò ne quidem spontè oblatum accipiãt; Scriba tamen siue Notarius Episcopi Ordinatoris, cum ipsi nullum salarium pro eo officio exercendo sit constitutum, accipiet iuxta Concilij Tridentini constitutionem pro singulis Dimissorijs, aut testimonialibus literis, decimam duntaxat partem vnius aurei, quam ad sexdecim albos monetæ Colonienſis taxamus, inhærentes præterea dicti Concilij Tridẽtini Decreto, a reliqua omnia iura in examinibus præfatorum Ordinando-

nandorum seu collatione Ordinum cuicunque sub quocunque etiam pratextu solui consueta, prorsus abrogamus, & abrogata esse omninò volumus, ac proinde eadem exigi, dari, offerri, vel etiam sponte oblata accipi seuerè prohibemus, sub pœnis in eodem Concilio Tridentino mentionatis. Quo verò accuratius prædicta omnia ad executionem deducantur, expressè vetamus, ne noster in Pontificalibus Vicarius vllum ordiner, circa quem præmissa non esse obseruata animaduerterit: quia hæc est seria nostra voluntas.

a c. quãdo dist 24. c. placuit 1. q. 1. c. sicut Episcopũ 1. q. 2. Conc. Trid. sess 21. de reform. c. 1.

Ordinibus sacris insigniendus Examen subeat, an propositum eius sit pium, sanctum ac firmum; & quantum possit in horarijs precibus recitandis.

XXX. Qui se examini subijciet, vt sacris Ordinibus initietur, ante omnia interrogetur, a quo affectu ductus, Ordinem Ecclesiasticum petat, an eius propositum pium sit, sanctum ac firmum; & quan-

quantum possit in horarijs precibus recitandis : ordinatus verò sciat se, secundum Canonicas sanctiones, ad istas preces quotidie persoluẽdas sub pœna peccati mortalis, & si beneficiatus est, restitutionis insuper fructuum pro rata temporis, quo Officium non impleuit, obligatum; ideoque vnusquisque huic obligationi studiosè satis faciat.

a *Concil. Prouinc. Colonienſ. ſub Hermanno 5. part. 1. c. 21. & 22. ac ſub Adolpho 3. Archiepiſc. Colonien. De Altero Medio. c. Deinde viſum &c. pag. 431.*

Examinetur etiam in cantu Chorali.

XXXI. In Cantu ecclesiastico addiscendo hactenus magna ordinandorum negligentia animaduersa fuit, non sine graui scandalo populi, vt aut muti sint multi in Choro Clerici cantus Ecclesiastici imperiti, aut in voce inconcinna & absona mutis deteriores sæpe reperiantur : quare seriò mandamus omnibus ad sacros Ordines aspirantibus, vt Cantum Gregorianum seu Choralem ex principijs, vsu, atque exercitatione addi-

addiscant. Cuius etiam in examine posthac rationem accuratam haberi volumus.

Clericali Tonsurâ insigniendi, quo tempore, loco & habitu comparere debeant.

XXXII. Ad primam Tonsuram, aut etiam minorum Ordinum aliquem admissi feriâ sextâ matutinâ, horâ octauâ in domo generalis nostri in Pontificalibus Vicarij adsint Clericali vestitu inducti, capillitio abscisso, seu decenter cõposito, *a* & superpelliceum atque cereũ singuli in promptu habentes; qui vbi Clericalem Tonsuram, vel aliquem Ordinum minorum susceperint, sicut & singuli maioribus Ordinibus initiati, *b* in vertice capitis coronã sibi radi curent pro vniuscuiusque ordinis, gradus ac status qualitate latam, eamque conspicuam perpetuò deinde gerant; ac secundâ vel tertiâ qualibet hebdomada, atque præcipuis anni festiuitatibus faciant renouari; vt hoc antiquissimo Ecclesiæ ritu significent, se superflua omnia, curasque omnes seculares ac terrenas sollicitudines

tudines abiecisse, & ea, quæ sursum sunt, quærere & sapere. Nec propter hæreticorum derisionem, aut vulgi iudicium quemquam pudeat hoc Symbolo Ducē & Imperatorem suum profiteri, *cui per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem; per infamiam & bonam famam, debet militare*: c maximè cū Concilium *d* tam Oecumenicum Tridentinum, quam Prouincialia & Synodalia Colonienſia declarent, nullū primâ Tonsurâ initiatum aut etiam in Ordinibus constitutū, fori Priuilegio gaudere, nisi Tonsuram & habitum Clericalem gestet.

a *c. non liceat, vlt. dist. 23.* b *Catechis. Rom. part. 2. c. 7. n. 13. & 14.* c *2. Cor. 6. 7.* d *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 6. Synod. Colon. sub Sifrido Archiepiscopo c. 9. §. item denuncianus, pag. 44. sub Henrico Archiepiscopo c. 2. pag. 86. sub VValramo Archiep. c. 4 pag. 111. & c. 18. pag. 124. & c. 20, pag 129. sub VVilhelmo Archiep. cap 5. pag. 157. sub Friderico Archiep. c. 5. pag. 189.*

Tonsurâ quali Clericis, quali Subdiaconis,

Diaconis, Sacerdotibus, Prælatis vtendum.

XXXIII. Vt constet quam latâ quisque pro ratione Ordinis, gradus, ac status sui debeat gestare coronam: Sacerdotis corona amplitudine suâ hostiæ magnæ, quæ ad Missæ Sacrificium seruit, par sit; Clerici verò atque item minoribus Ordinibus initiati ad paruulæ hostiæ, quæ laicis communicãtibus exhiberi solet, quantitatem æquet; Diacono autem paulò minor sit Sacerdotali, & sicut Subdiaconi paulò maior Clericali, ita Pastoris vel curam animarum habẽtis Sacerdotali, & Prælati Pastorali paulò maior sit.

Ad maiores Ordines suscipiendos admissi, quo die, hora, loco, & habitu comparere debeant; & coram quo fidei Professionem facere.

XXXIV. Omnes admissi ad Ordines sacros suscipiendos, Sabbato generalis ordinationis die; simul ad medium horæ octauæ matutinæ, in Metropolitana nostra

nostra vel alia pro dictis Ordinibus cõferendis designata Ecclesia adsint, *a* honestâ induti veste talari, nec non coronâ iustæ ac decentis pro Ordine atque gradu suo magnitudinis insigniti; & coram Vicario nostro in Pontificalibus generali, vel alio per ipsum ad id deputato, Catholicę fidei professionem, iuxta formulam à fæl. rec. Pio Papa 4. præscriptam palàm emittant, sub pœnâ reiectionis pro illa vice à susceptione ordinis.

a *c. non liceat vlt. dist. 23. Catechis. Rom. part. 2. c. 7. n. 13. & 14.*

Qualia, & cuius colorîs paramenta Ordinandi adferre debeant.

XXXV. Parata quoque habeant paramenta Ecclesiastica suscipiendi Ordinis sacro & colori Sacrificij Missæ illius diei conuenientia, atque cereum: & cum à Scriba seu Notario Episcopi Ordinatoris fuerint nominati, respondeant, ADSVM, *a* factaque eidem Episcopo debita reuerentia, accedant ad locum Ordinationis, secundum descriptionis ordinem.

a *Pontificale Rom. tit. de Ordin. confer. pag. 7. §. Ordinandi &c.*

Maioribus Ordinibus initiandi se præparent ad sacram Communionem Sabbato Ordinationis die sumendam.

XXXVI. Singuli maioribus Ordinibus initiandi sese præparent, præuiâ Sacramentali Confessione, *a* ad sacram Communionem eodem Sabbato Ordinationis reuerenter ac deuotè sumendam, hoc modo; videlicet, postquam Episcopus Ordinator se communicauerit, accedent ad Altare *b* Presbyteri, deinde Diaconi, postremò Subdiaconi; quibus ordinatim genuflectentibus, & Episcopo ad eos conuerso, singuli Diaconi, & Subdiaconi tantum dicent, submissa voce, *Confiteor Deo Omnipotenti* &c. vel vnus illorum cantabit *Confiteor* &c. deinde data per Episcopum absolutione & benedictione, ordinati ad supremum gradum altaris accedent, & quilibet ibidem genuflexus, priusquam Sanctissimâ Communionem sumat, manum Episcopi sacram Hostiam tenentem osculabitur, sacraque Communione sumpta, respondebit; AMEN: tum surgens, purifi-

catio-

catione à Ministro apud cornu Epistolæ altaris stante acceptâ, ad partem se locabit.

a *Statuta Sifridi Archiep. Colon. cap. 9. pag. 44. Concil. Prouinc. Colonien. sub Hermanno 5. part. 1. c. 26. pag. 346.* b *Pontificale Rom. tit. de Ordinat. Presb. pag. 51. & 52.*

Singuli Sacro Presbyteratus Ordine initiandi adferant mappulam mundam, ac Missale Romanum.

XXXVII. Sacro Presbyteratus Ordine insigniendi mappulam quoque albam & honestam pro manibus inunctis colligandis secum adferant; a atque singuli vnum Missale Romanum, vel saltem nouum Colonienſe instar Romani correctum, vt Episcopo Ordinatori celebranti concelebrare possint, & omnia dicere, præsertim verba Consecrationis, quæ dici debent eo momento per Ordinatos Sacerdotes, quo dicuntur per Episcopum Ordinatorem.

a *Pontif. Roman. tit. de Ordinat. Presb. pag. 40.*

Ordinati Sacerdotes intra 40. dies primitias celebrare tenentur, sed prius literas susceptι Sacerdotij exhibere.

XXXVIII. Ordinati Sacerdotes, intra quadraginta dies ab Ordinatione, iuxta antiquam consuetudinem, primitias suas celebrent; sed ne quisquam fortè à susceptione Ordinis Sacerdotalis reiectus, ad euitandam apud suos confusionem, ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilegâ temeritate vsurpare attentet: mandamus vt nemini primitias celebrare permittatur, antequam superiori Ecclesiastico, seculari vel Regulari eius loci, vbi primitias celebrare intendit, litteras susceptι Sacerdotij exhibuerit.a

a *Statuta Sifridi Archiep. Colon. c. 9 pag. 44. Henrici Archiep. Colon c. 9 pag. 102. Philippi Archiep. Colon pag. 283. Adolphi 3. Archiep. Colon. pag. 462.*

Ritus in Missâ seruandi sint Vbiuis vniformes.

XXXIX. a Sicut vna est Christi Ecclesia,

clesia, sic omnia Ecclesiæ membra vniformia esse, & vnitatem semper obseruare necessum est, maximè autem in sanctissimo Corporis & Sanguinis Christi mysterio; vnde ad præcauendam omnẽ difformitatem, atque cæremoniarum ac rituum in sacræ Missæ officio confusionem, Episcopus *b* Sacerdotes omnes à se recenter ordinatos admonet, vt diligenter totius Missæ ordinẽ ac Sacræ Hostiæ consecrationem, fractionem & Communionem ab alijs iam doctis Sacerdotibus discant, priusquam ad celebrandã Missam accedant. Quia tamen experientia cognouimus, sæpè eos deligi Sacerdotes, qui magis egerent doceri, quam docere, cum ipsimet in cæremonijs ac ritibus, præsertim Romanæ Ecclesiæ parum sint exercitati, & cum in antiquis Missalibus Ecclesiæ Colonienſis nulli præscribantur certi ritus aut cæremoniæ, nec vlli extent huius Diœcesis aut Prouinciæ rituales libri, qui, quibus nam cæremonijs aut ritibus sacra illa ac tremenda actio peragenda sit, præscribant, tantam videmus cæremoniarum ac rituum in hanc sacratissimam actionem

tractu temporis irrepsisse ignorantiam, neglectum, & confusionem, vt (quod omnes grauiter offendit) quot sunt Ecclesiarum ministri, tot penè videre sit in ritibus atque cæremonijs Sacrificij Missæ diuersitates, vt mirum non sit factum Diœcesis, ac Prouinciæ huius vehemẽter perturbatum esse. Nam quod communi Ecclesiæ oratione suppliciter à Deo petitur: *Sic nos tu visita, sicut te colimus*: hoc ille facit, & vt nõ in irâ ac furore suo faciat; sed in misericordia sua magna, ac miserationibus multis: vt virga correctionis suæ prudẽtiores nos faciat; tempus est, vt singuli cum omni humilitate & contritione cordis disciplinam Domini suscipiant, totaque voluntate omnem correctionis ac castigationis causam auferãt. Quod vt nos pro Archiepiscopali nostro munere & auctoritate præstaremus, Missale Colonienſe ad dispositionem S. Romanæ Ecclesiæ accõmodatum excudi, eidemque plenissimã instructionem generalibus & specialibus rubricis complexam de cæremonijs & ritibus vniformiter, in Ecclesijs nobis subiectis, seruandis præfigi fecimus, cuius

ius piè intenti operis fructu ne Ecclesia nostra fraudaretur, in Synodo *d* nostra Colonien si vltima mandauimus omnibus in virtute S. Obedientiæ, vt amotis quibusvis alijs siue iam antiquatis, siue peregrinis, vel priuatis, & omnibus singularum Ecclesiarum proprijs Missalibus, deinceps nouo Missali vterentur, voluimusque, vt in omnibus Ecclesijs Collegiatis & Parochialibus, alijsque vbi plures sunt Clerici, vnus constitueretur, qui cæremoniarum ac rituum curam in se reciperet, nouellos Sacerdotes in cæremonijs instrueret, & vt omnia suo ordine, loco ac tempore fierent, obseruaret, is etiam Superiores singularum Ecclesiarum Decanos, Pastores, Priores, Rectores, aliove quouis nomine vocatos, de difformitatibus quibusvis certiores reddere teneretur, vt eorum auctoritate, quod commodè interdum Cæremoniarij introducere aut corrigere non possent, introduceretur, vel corrigeretur. Sed cũ hactenus salubre illud decretum minus rectè obseruatum sit, & sciamus difficillimum esse ab ijs, quibus primum quis assueuit, sese reuocare.

Idcirco Archiepiscopali nostrâ auctoritate iterùm in virtute S. Obedientiæ severè prohibemus, ne quisquam deinceps Sacerdos sæcularis primitias celebrare præsumat, nisi prius generales ac speciales rubricas & ritum celebrandi Missam tam priuatam quàm solemnem secundum præscriptum Missalis Romani diligenter perlegerit, & in sacris Missæ ritibus optimè fuerit eruditus, atque ab aliquo cæremoniarum & rituum Ecclesiæ Romanæ perito Sacerdote easdem cæremonias & ritus se perfectè didicisse Capitulo vel Decano, aut Pastori, cui subest, testimonio instructoris sui debitè probauerit, sub pœnâ arbitrariâ: item nec vllus Ciuitatis vel Archidiœcesis nostræ Colonienſis Sacerdos priuatis affectibus ductus, alijs cæremonijs ac ritibus in celebratione Missæ vtatur, nec plures faciat cruces aut benedictiones, quam in Missali Romano præscribuntur, sed omnes iuxta antedicti Missalis normam, vestium collaribus sub amictu seu humerali circumtectis, tremendum illud Missæ sacrificium reuerenter, piè & deuotè peragant, obedienter ac religiosè

giosè in omnibus sacrosanctæ Missæ ritibus atque cæremonijs sequendo Sanctam e Romanam Ecclesiam, cæterarum Ecclesiarum omnium matrem & magistram, indeque resumant normam sacrificandi, vnde sumpserunt exordium.

a D. Cyprianus tom. 2. c. 3. de vnitate Eccles. Catholicæ. b Pontif. Rom. tit. de ordinat. Presb. in fin. c In Hymn. ad Matut. offic. Corporis Christi vers. fin. d Synod. Colon. habita 19. Aprilis 1627. titul. 5. pag. 14. e c. 1. c. 2. dist 12. c. nolite errare. c quis nesciat. d. 11. Statuta Henrici Archiep. Colon. c. 3, in fin. pag. 61.

Vniformitas sacrorum rituum & cæremoniarum in omnibus officijs Ecclesiasticis adhibenda.

XL. Vt hæc vniformitas sacrorum rituum & cæremoniarum vsus Romani magnopere commendans Catholicæ religionis dignitatem & vnitatem, in quibuscunque etiam reliquis officijs Ecclesiasticis, prout decet, adhibeatur, vehementer exoptamus ab omnibus & singulis

gulis, quos concernit, obseruari Cæremoniale Episcoporum, omnibus Ecclesijs, præcipuè autem Metropolitanis, Cathedralibus & Collegiatis perutile ac necessarium; quodque magno labore & industriâ emendatum ac reformatum fel. rec. CLEMENS Octauus huiusce nominis Papa in vniuersali Ecclesiâ perpetuò seruari districtè mandauit. *a*

a fel. rec. Clement Papa 8. Constit. 68. Bull. tom. 3.

1. *Interest ad Catholicæ religionis dignitatem & vnitatem seruandam, vniformitatem cæremoniarum in Sacramentorum ministratione adhiberi.*
2. *Pastorale seu Rituale Romanum commendatur.*

XLI. Multum etiam interest ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem seruandam, promouendamque Christifidelium pietatem, & aduersariorum confusionem, cæremonias & ritus Ecclesiasticos in Sacramentorum ministratione eosdem vbique adhiberi; ideoque Ecclesiæ Romanæ cæterarum Capiti atque Principi reliquas cõformari. Quare operam dare debent

debent Parochi, & alij Ecclesiæ Ministri, vt ea, quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis, sacrorumque Canonum & Summorum Pontificum Decretis, de Sacramentorum ritibus atque cæremonijs Rituali Romano præscribuntur, calleant, quâ par est diligentiâ ac religione vbique fideliter obseruent, & cũ decore ac populi ædificatione exerceãt, iuxta præceptum Apostoli, *omnia honestè & secundum ordinem fiant*: a Id autem vel eò magis inculcamus, cum Sacrosancta & Oecumenica Tridentina Synodus decreuerit. *b* Quod *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.*

a 1. *Corinth.* 14. 40. b *Conc. Trid. sess.* 7. *de Sacram. in genere can.* 13.

Nemo ad Parochialem Ecclesiam, aliudve beneficium curatum promoueatur, admittatur vel instituatur; nisi præuio examine Ordinarij Diœcesani, ap-

probatione ab eo inſcripti obtentâ, & ſi ei profeſſione factâ.

XLII. Porrò ex promotione inidoneorum & indignorum *a* ad Eccleſiaſtica beneficia, præſertim curam animarũ annexam habentia, plurimùm mali ac ſcandali prouenire, res ipſa loquitur. Quapropter vt Parochiales Eccleſiæ conferantur dignis & idoneis, qui in loco reſidere, & per ſe ipſos curam animarum exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, tum Sacroſancti & Oecumenici Concilij Tridentini, *b* tũ ſanctæ mem. Pij Quinti, *c* diuerſorumque aliorum Summorum Pontificum editæ Conſtitutiones ſatis ſuperque teſtantur; quibus nos inhærẽdo, ſeuerè prohibemus, ne à quibusvis perſonis, etiam cuiusuis dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, vlla Parochialis Eccleſia, ſeu aliud qualecunque Eccleſiaſticum beneficium curatum Ciuitatis vel Diœceſis noſtræ Coloniensis, cuiquam ſiue ſæculari ſiue Regulari, etiam qualitercunque exempto, conferatur; neque ei animarum cura vllatenus committatur; nec quisquam ad quamcunque

cunque Ecclesiam Parochialem, aliudve Ecclesiasticum beneficium curatum cuiuscunque iurispatronatus siue Ecclesiastici siue laici, etiam quibusuis Capitulis, Collegijs, Monasterijs, Ordinibus, ac Militijs, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, alijsque Ecclesijs & pijs locis, etiã quomodocunque exemptis vnitum, annexum & incorporatum præsentetur, seu eligatur, vel nominetur; & de quauis Ecclesia Parochiali seu Ecclesiastico beneficio curato prouisus, vel ad id præsentatus, seu electus, vel nominatus non instituatur, nec confirmetur, neque admittatur, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerit prius iuxta dicti Concilij Tridentini, & Pij Quinti Constitutiones, Archiepiscopali nostrà auctoritate ordinariâ examinatus & idoneus repertus; atque à nobis, nostróve in spiritualibus Vicario generali approbationem in scriptis obtinuerit; cum omnes ac singulas collationes, prouisiones & institutiones aliter factas, aut faciendas, idem Pius Pontifex decernat ac declaret nullas, irri-

irritas, ac nullius roboris vel momenti esse & fore; nullumque prouisis & institutis ius aut titulum etiam coloratum possidendi præbere; sed Parochiales Ecclesias huiusmodi, vt prius, ante collationes vel institutiones, vacare. Insuper mandamus, vt quilibet de beneficio quocunque curam animarum habente prouisus, Orthodoxæ suæ fidei publicâ faciat professionem, cùm declaret idem Concilium Tridentinum, quod alioquin non faciat fructus suos, nec illi possessio suffragetur. *d*

a *c. inter dilectos de excess. Prælat.* b *Concil. Trid sess. 7 de reform. c. 13. sess 14. de reform. cap. 12. & 13. sess. 24 de reform cap. 1. & 18. sess. 25. de reform. cap 9.* c *Pij Papæ 5. Constitutio 33. Bullar tom. 2. Concil. Prouinc. Coloxien sub Adolpho 3. Archiepisc. c. deinde visum &c. pag. 431. c. cum bonorum &c. pag. 433. c. de sæcularibus &c. pag. 434.* d *Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 12.*

Pastoralem iurisdictionem vsurpans sine ordinariâ approbatione Archiepiscopali quam pœnam incurrat.

XLIII. Cum itaque Archiepiscopalis nostra

nostra examinatio, & approbatio nec nō institutio canonica ianua sit, per quam fit ingressus in Ecclesiarum Parochialiū administrationem, sine qua etiam nulla pastoralis in populum haberi potest iurisdictio, nullaque ligandi ac soluendi auctoritas exerceri; seriò præcipimus, vt Archipresbyteri seu Decani Rurales, cum sint Parochorum sui districtus Pastores, summâ curâ & sollicitudine aduigilent, ne quis aut sæcularis, aut Regularis, etiam qualitercunque à iurisdictione nostrâ Ordinariâ exemptus, beneficium quodcunque Pastorale, vel exercitium curæ animarum Ciuitatis vel Diœcesis nostræ Colonienſis, quocunque titulo vel prætextu, inuadat, absque præuio examine, & approbatione nostrâ Archiepiscopali, & Canonicâ institutione Archidiaconali. Aliter autē immissi à Pastorali officio & fructibus se nouerint ipso iure esse suspensos: & si quos nomine Pastoralis curæ acceperint fructus, fabricæ Ecclesiæ, à qua prouenerunt, restituendos, atque ad eorum veram & realem restitutionem à suis

Archi-

Archipresbyteris seu Decanis Ruralibus esse compellendos, declaramus.

Pastorum officium.

XLIV. Pastores verò, quibus animarum cura Legitimè commissa est, domui suæ sint bene præpositi, ita vt non tantum ipsi, sed & eorum familiæ irreprehensibilem vitam agant: *Qui enim domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.* a Insuper sciant præcepto Diuino *b* sibi mandatum esse, vt oues suas agnoscant, pro his Sacrificium offerant, verbique Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascant, & pro earum salute, quandocunque opus est, animam suam ponant, pauperum præsertim infirmorum, sæpè eos visitando, ac temporali & spirituali solatio eosdem subleuando, curam paternam gerant, rudes in fide, & maximè iuuentutem, vt Ecclesiæ seminarium Catechizent, piorum Legatorum diligentem rationem habeant, & serijs monitionibus satagant, vt ante finē anni

anni pijs testatorum voluntatibus satisfiat, & in cæteraPastoralia munera omnia,onus Angelicis humeris formidãdum,diligentissimè incumbant. Quis enim nescit, quanti vna anima sit pretij, quarum tot millia Sacerdotum Curatorum incuriâ pereunt.

a 1.*Timoth.*3.5. b *Conc. Trid. sess. 5. de reform.c.2.& sess.23.de reform.c.1.*

Pastores iure Diuino ouibus suis assiduè adesse tenentur,etiam periculi & pestis tempore,nec ad mensem à Parochiâ suâ abesse possunt sine licentiâ Archiepiscopali.

XLV. Ad præstanda & implenda hæc Pastoralis officij debita, ad assiduam apud oues suas residentiam se iure Diuino obligatos esse intelligant Pastores omnes, nec posse oues suas metu periculi,vel pestis tẽpore, deserere, vel sub prætextu aliorum negociorum, sine licentia nostra, nostríve Vicarij in spiritualibus generalis,ac nisi alteri Archiepiscopali nostra auctoritate approbato

Vica-

Vicario curâ commissa ad vnum mensem abesse; idque sub grauibus pœnis à Concilio Tridentino *a* præscriptis. Quod in hac luctuosa grassantium hæresum tempestate, & falsorum propheтarum, seductorum, hæreticorumque licentiosa multitudine, tanquam vigiles Pastorum inspectores, eò diligentius curare tenentur Decani Rurales; quia sicut spirituales, & vt est apud Prophetam *Vespertini, b* lupi, latrones, fures, nunquam facilius, quàm absente Custode; ita nusquam securius quàm ruri, vbi inspectionem suam habent ipsi Decani, Dominicum gregem inuadere possunt: quem vt ab insidijs luporum, amor & vigilantia Pastoris debet custodire; ita Decani nũquam ab intentione sollicitudinis suæ quiescentes, dormientem aut negligentem Pastorem, ceu speculatores in prospectu explorationis locati, contra aduenientes latrones, & obrepentes fures debent excitare.

a *Conc. Trid. locis supra citatis.* b *Haba. 1. 8.*

1. *Pastores intra limites suæ Parochiæ, &*

in

in Pastorali, vel aliâ domo Ecclesiæ proximâ habitent.

2. *Idem quoque faciant Custodes.*

XLVI. Ea propter quotquot habent animarum curam, non solum intra limites suæ Parochiæ, verum etiam, quantū commodè fieri poterit, propè Ecclesiam in Domo Pastorali personaliter resideāt. Quod si talis domus Pastoralis non extet, conducant honestam aliquam domum, Ecclesiæ Parochiali, quantū fieri potest, proximam: & interim agant cum suis Parochianis de modo & ratione alicuius domus Pastoralis ædificandæ. Si verò familiam non alant, habitationem eligant non procul ab Ecclesia, nullo tamen modo in diuersorio, aut in domo malæ famæ. Custodes autem idem faciant, quo Parocho & Parochianis opportuniùs adesse possint. a

a c. *necessariâ* 12. q 1.

Iuramentum ab animarum Curatoribus præstandum.

XLVII. Quò autem præmissa exactiùs

ctiùs obseruentur, a Statutis tam antecessorum nostrorum Archiepiscoporum Colonienſium, quàm declarationibus sacræ Congregationis Cardinalium Concilij Tridentini interpretum insistentes; volumus, vt quilibet Parochialē Ecclesiam seu quodcunque aliud Ecclesiasticum beneficium curatum adeptus, antequam cura animarum, vel possessio ipsius Ecclesiæ seu beneficij ei detur, vltra professionem fidei, præstet etiam coram Vicario nostro in spiritualibus generali subsequens iuramentum.

a *Concil. Prouin. & Synod. sub Adolpho 3. Archiepisc. Colonienſ. c. secundo quia &c. pag. 523. & § primum itaque col. 2. pag 537.*

Ego N.N. iuro & promitto obedientiam, reuerentiam, & honorem Summo Pontifici Romano, ac Reuerendißimo Domino N. Archiepiscopo ac Principi Electori Colonienſi, eorundemque ſucceſſoribus. Item iuro & promitto, quod Ecclesia mea Parochialis N. ſecundum oneris eidem annexi exigentiam, diligenter deſeruiam, & in ea perſonaliter reſidebo. Predicta mea

Eccle-

Ecclesiares, bona, & iura quæcunque inuenta fideliter conseruabo, nec ea alienabo, malè autem alienata, quantum in me erit, diligenter recuperare studebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Quando aliò se recipere cogentur, quid præstare debeant.

XLVIII Si contingeret (prout nuper ex causa retorsionum factum est) Pastores gregem suum cogi deserere, & aliò migrare, id non faciant sine nostro vel nostri in spiritualibus Vicarij consensu, & indicato loco, quo sese recipiunt, & non minorem curam habeant conseruandæ supellectilis Ecclesiæ, quàm suæ propriæ.

Archipresbyterorum seu Decanorum ruralium officium.

XLIX. Atque vt prædicta pro voto nostro præstentur, Archipresbyteri seu Decani rurales soliciti sint de Pastorum suo-

ſuorum ſubditorum ſalute ac profectu ſpirituali, diligenter eorum vitæ, moribus, & doctrinæ intendentes, ideoque præter viſitationem ordinariam, datâ occaſione, ſæpiùs Parochias ſibi commiſſas inuiſant, & in viſitationib. ſuis præcipuè inquirant, an Paſtores apud oues ſuas perpetuò habitēt, piè ac laudabiliter viuant, ſuo, vt decet, munere fungātur, præſertim Dominicis & feſtis diebus in celebrādo Miſſæ officio, concionando, catechizando, Eccleſiaſtica Sacramenta, quacunque diei ac noctis horâ requirantur promptè ac deuotè miniſtrando, cum debitis ritibus, cæremonijs, orationibus ac precibus in Rituali Romano ſeu Paſtorali libro Colonienſi Agenda appellato, ad hoc religioſè præſcriptis. Et ſi muneri ſuo deſint, ad nos, noſtrumve in ſpiritualibus Vicarium abſque morâ deferant, pœna ſuſpenſionis ab officio, vel alia grauiore arbitraria pro qualitate culpæ & ſcandali puniendos.

Paſtorum quoque Vicarij, Capellani & adiutores ordinaria auctoritate Archie-

chiepiſcopali approbandi ſunt ad curam animarum.

L. Cùm non ſolum Paſtoribus, ſed etiam eorum Vicarijs, Capellanis, eorumque adiutoribus vel ſocijs cura animarum incumbat; proinde & ij de ſufficientiâ ſuâ docere debeant, diſtrictè inhibemus, ne vllus Paſtorũ Ciuitatis ſeu Archidiœceſis noſtræ Coloniẽſis cuiuſquam Vicarij, Capellani, adiutoris vel ſocij operâ in Paſtorali ſuâ functione vtatur, qui noſtrum, aut noſtri Vicarij in ſpiritualibus generalis teſtimonium in ſcriptis non exhibuerit, quo teſtatũ fiat, eum ſufficienti examine inuentum eſſe dignum & idoneum, qui in Vicarium, Capellanum, adiutorem vel ſocium Paſtoralis officij tali loco cooptari poſſit; in quo teſtimonio etiam locum deſignari volumus: cum pro diuerſitate locorũ aut perſonarum, quibus quis præficiendus erit, diuerſum eſſe poſſit, de præficiendi qualitate, iudicium *a*

a *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 4. Conc. Prouinciale Colon. ſub Hermanno 5. p. 4. c. 6.*

Presbyteri omnes etiam Regulares debent antea ab Episcopo Diœcesano approbari, quàm secularium seu monialium etiam ipsis Regularibus subiectarum audiant confessiones.

LI. Quod non tantũ de Pastoribus seu Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, eorumque Vicarijs, Capellanis, adiutoribus vel socijs intelligitur, sed & de Religiosis quorumcunque Ordinum, Societatum, & Congregationum; cum ab *a* Oecumenica Synodo Tridentina, & à fel. rec. *b* Gregorio 15. Pontifice Maximo prouidè cautum sit, nullum Presbyterum, etiam Regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotũ, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo Diœcesano per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem obtineat. Confessarios porrò siue seculares siue regulares, etiam quomodolibet exemptos, tam ordinarios, quàm extraordinarios, ad Confessiones Monialium, etiam ipsis Regularibus subiectarum,

rum, audiendas, nullatenus deputari posse; nisi priùs ab Episcopo Diœcesano specialiter ad hoc idonei iudicati fuerint, & approbati.

a *Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 15.* b *fel. rec. Gregorij Papæ 15. Constitutio 18. Bullarij tom. 4.*

Reuocatio omnium indultorum quibusvis Religionibus, Societatibus, & Ordinibus, quomodolibet concessorum audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione.

LII. Quam rem fel. rec. Vrbanus 8. Pontifex maximus accuratiùs persequens, omnia omnino reuocauit & abrogauit priuilegia, quibusuis Religionibus, Societatibus, Congregationibus, & Ordinibus à Sede Apostolicâ quomodolibet concessa audiendi Sacramentales personarum sæcularium confessiones absque Ordinariorum Diœcesanorum examine & approbatione; cuius verba, plenioris cognitionis causa, hic libet adscribere.

Fel. rec. Vrbani 8. Constitutio 29.
Bullarij tom. 4.

VRBANVS PAPA VIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

CVM, *sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorundam Ordinum, seu Congregationum à Sede Apostolicâ indultum fuerit, vt sacramentales personarum secularium confessiones audire valeant, etiamsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati, & approbati non fuerint; nec desint, qui temerè asseuerent, hoc ipsum priuilegium cæteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis priuilegiorum communicationibus, quas ab eadem Sede Apostolicâ obtinuerunt, & hinc saluberrimum Sacri Concilij Tridentini decretum, desuper sancitum penitus euertatur; Nos huic malo*

malo opportunè prouidere volentes, De Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium præpositorum consilio, omnia, & singula indulta huiusmodi, audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarij examine, & approbatione, quibusuis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, etiam Societati IESV, Congregationibus, & Ordinibus, tàm mendicantium, quàm non mendicantium, necnon monachorum quorumcunque etiam S. Benedicti, Cistercienſis, & Carthusienſis ac etiam quibusuis militiis, etiam Hospitalis S. Io. Hierosolymitani, ac quibuscunque Ecclesiis etiam Patriarchalibus & Metropolitanis, Monasteriis, cæterisque locis pijs, siue eorum & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Prouincialibus, Capellanis, Confessarijs, aut alijs quocunque nomine nuncupatis Superiori-

rioribus, & personis quibuscunque etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quouis priuilegio munitis, & tàm ad supplicationem partium, quàm Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocunque & qualitercunque ex quauis, etiam de necessitate exprimenda causa, & aliàs quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate, tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu euacuamus, ac reuocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque & effectu vacua esse, & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati IESV, Congregationibus, Ordinibus, ac militijs, & Ecclesijs, Monasterijsque prædictis, eorumque Superioribus, & personis quibuscunque in posterum vllo modo suffragari, minus-

minusque illos, & illas, etiamsi de ijs specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis huiusmodi vti posse; præsentes verò literas, & in eis contenta quacunque etiam ex eo quod quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocunque defectu notari, impugnari, redargui, in ius, vel controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus illas quodcunque iuris, gratiæ, vel facti remedium impetrari nullatenus posse, sed illas semper validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque per quoscunque Iudices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quauis

aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, & declaramus Non obstantib. præmissis, ac quibus suis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, Ordinibus, Societatibus, & Congregationibus prædictis eorumque Præpositis, Decanis, Magistris, Abbatibus, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, & alijs Superioribus, Capellanis, alijsque prædictis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti

cienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreßio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreßis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreßè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autẽ quòd præſentiũ tranſumptis, etiam impreßis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus vbique fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ: Quodque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exemplа ad valuas Baſilicarum S. Io. Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe,

& in Acie Campi Florę affixa omnes ita arctent, & afficiãt, ac ſi vnicuique perſonaliter intimata fuiſſent. Dat. Romæ apud Sanctã Mariã Maiorẽ ſub Annulo Piſcatoris. Die XII. *Septembr.* MDCXXVIII. *Pontificatus Noſtri Anno Sexto.*

M. A. Maraldus.

Anno Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, Indictione duodecima Pontificatus autem Sanctiſſimi D. N. Papæ Domini Vrbani diuina prouidentia Papæ Octaui Anno eius Sexto, Die verò lunæ Octaua Ianuarij. Retroſcriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris eſt, per nos Franciſcum Pignoccatum, & Pópeium Giranum eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſores.

Brandimartes Latinus pro Mag. DD. Curſ.

Regu-

Regulares non possunt pœnitentes suos à Casibus Sedi Apostolicæ & Ordinario Diœcesano reseruatis absoluere sine speciali licentiâ.

LIII. Veruntamen ne Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiã Archiepiscopali nostra auctoritate Ordinariâ approbati potestatis suæ limites transcendant, quæ Sacra Congregatio Cardinalium, qui Episcoporum & Regularium negocijs & consultationibus præsunt, circa facultatem absoluendi à casibus Sedi Apostolicę, & Ordinario reseruatis declarauit, ex ipsius met Congregationis subiectis hic verbis quisque cognoscere potest.

DECLARATIO
Sacræ Congregationis Episcoporũ, & Regularium, circa facultatem absoluendi à Casibus Sedi Apostolicæ, & Ordinario reseruatis.

Sacra Congregatio S.R.E. Cardinaliũ negocijs, & consultationibus Episcoporum,

rum, & Regularium præposita censuit, per Confirmationes Priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apost. post Sacr. Conc. Tridentinum obtinuerunt, nequaquam reuixisse Priuilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Ordinario loci reseruatis; Quemadmodum nec indulta absoluendi à casibus contentis in Bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vtpotè sublata per annuam ipsius Bullæ publicationem, vires, aut robur acquisiuisse ex subsequentibus Priuilegiorũ Confirmationibus: Ac proinde Regulares cuiusuis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam necessariò exprimendi, nec intra, nec extra Italiam in vim Priuilegiorum, aut Confirmationũ eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdẽ casibus in Bulla

Cœnæ,

Cœnæ, aut Ordinario loci reseruatis: Ac si secùs egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, ac fore: ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse ijsdem Sacr. Congregationis Decretis hac de re editis iussu san. me. Clementis VIII.

Quam Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. Nouembris 1628.

F. A. Card. S. Honufr.

P. Fagnanus Secr.

Regularibus omnibus vetitum est ministrare secularibus personis Sacramenta Baptismi, &, extra suas Ecclesias, Eucharistiæ: item extremæ Vnctionis, & Matrimonij.

LIV. Quod Regularibus omnibus

de confessionibus secularium audiédis, id quoque non minori ratione de administratione Baptismi, vel Sacrosanctæ Eucharistiæ extra suas Ecclesias, vel extremæ vnctionis, ac multò magis de solemnizatione aut benedictione matrimonij, quæ debent â proprijs Parochis ministrari, est veritum; Proinde nulli Regulares, nisi de expressa nostra, vel nostri Vicarij generalis, vel proprij Parochi licentiâ, audeant extra suas Ecclesias vlla Sacramenta, præter pœnitentiæ, administrare; quin etiam, si audierint alicuius infirmi confessionem in domo priuatâ, id significent proprio eius Pastori; sed nullatenus præsumat ægroto deferre secretò & sine lumine Sacrosanctam Eucharistiam, quod ne quidem ipsis Pastoribus permittitur; nec sollicitent ipsos ægrotos ad eligendum in ipsorum Ecclesijs sepulturam; & si sponte eam elegerint, Ecclesiæ nihilominus Parochiali sua iura seruentur.

Clem. Religiosi de Priuileg.

Missa in priuatis ædibus non celebranda.

LV. Quod concedi consueuit desi-

derijs

derijs diuturno morbo laborantium, de Missa in suis ædibus interdum celebrãda, paulatim longius progressum est, & tandem in apertũ abusum contra sacros Canones *a* irreligiosè vsurpatum. Cui malo occurrere volens Conc. Trid. *b* (vt omnis irreuerentiæ circa Missæ sacrificium tollatur occasio) statuit & absolutè ordinauit, ne quis secularis aut regularis priuatis in domibus atque omninò extra Ecclesiam & ad diuinum tantũ cultum dedicata oratoria, ab Ordinarijs designata & visitata, sanctum Missæ sacrificium peragere præsumat. Quæ quidẽ ordinatio vt pro rei grauitate exactiorẽ obseruationem habeat, seuerè iniungimus omnibus & singulis Ciuitatis & Archidiœcesis nostræ Pastoribus ac Presbyteris, tam secularibus, quam regularibus quibuscunque, ne quisquam prætextu cuiuscunque antiquæ consuetudinis vel statuti, aut priuilegij deinceps dictæ ordinationi Concilij Tridentini controueniat, nec in priuatis ædibus aut omnino extra Ecclesiam seu Oratorium ad diuinum tantummodo cultum dedicatum, & Archiepiscopali nostra auctoritate

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ritate designatum & visitatum, Sacrosanctum Missæ officiū celebrare audeat, mandantes pariter laicis quibuscunque, ne per aliquos Presbyteros etiam exemptos, in suis ædibus sacrificium Missæ, aliqua ratione celebrari petant, aut patiantur. Si quis autem huic decreto Tridentino, & prohibitioni nostræ contrauenerit, tam is qui celebrauerit, quam qui Sacerdotem ad celebrandum requisiuerit, aut admiserit, arbitrio nostro grauiter punietur, non obstante Apostolico priuilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erat; nisi illud prius nobis aut generali nostro Vicario exhibitum & Archiepiscopali nostra auctoritate approbatum fuerit. Pastores autem subditos suos, qui morbo detenti, Ecclesiam visitare non possunt, doceant vt pia deuotione preces suas iungant cum illis, qui corporali præsentia diuinis officijs interfunt. Et vt ad excitandam deuotionē obseruent diuinorum officiorum tempora, vel campanarum pulsum, per quē significatio fit sacrorum quæ in templis peraguntur, & vbi corpore adesse non possunt, corde & pijs orationibus sese

præ-

præsentes statuant. Quod dum religiosè faciunt, & obedienter ordinationibus parent, per quas antiqui Canones in vsum reuocãtur, plus in vera pietate proficient, quam si ex priuata deuotione, ad domesticas Missas importunè consensum extorqueant, vel sub prætextu Priuilegij, irreligiosam foueant singularitatem.

a *c. Sicut c. Missarum 8. hic ergo c. nullus presbyter. c. non oportet. c. clericos de consec. dist. 1. b Conc. Trid. sess. 22. in decret. de obser. & euit. in celebratione Missæ.*

Nemo ignotus seu peregrinus, etiam Regularis ad celebrandam Missam, Sacramenta ministranda, aliave diuina peragenda admittatur absque licentiâ Archiepiscopali.

LVI. Ne per vagos a aut ignotos Sacerdotes aliquid noui in ritibus & cæremonijs diuini officij introducatur, vel alioquin nascatur scandalum, aut irreuerentia, quæcunque, cùm sacrum Oecumenicum Conc. Trid. tùm Prædecessores

res nostri Archiep. Colon. *b* rectè statuerunt, de vago, ignoto, aut peregrino Clerico aut Sacerdote non admittendo ad sacra ministeria, firmiter obseruari mandamus, atque omnibus modis interdicimus, ne quis vagus, ignotus, vel peregrinus Clericus aut Sacerdos, etiam Regularis in vlla Ciuitatis vel Diœcesis nostræ Ecclesia siue seculari, siue regulari, ad celebrandam Missam, Sacramenta administranda, aut etiam ad prædicãdum verbum Dei, aliosve sacros actus admittatur, nisi ostensis prius sui ordinatoris litteris, quæ formatæ vulgò nũcupantur, & Ordinarij sui authẽticis testimonialibus, ac Dimissorijs litteris, quibus videlicet de ordinatione sua legitimè adepta, deque vitâ, moribus, eruditione ac titulo fidem faciat, doceatq; nullo Ecclesiastico impedimento se ab executione ordinis arceri. Et ne aliquãdo falsæ litteræ ad sacrificandum obtrudantur, omnium Ecclesiarum Rectoribus, Pastoribus & Superioribus præcipimus, vt deinceps nullum Sacerdotem alterius Diœcesis, ad Sacrosanctum Missæ officium celebrandũ in suis Ecclesijs admit-

admittant, aut in Sacellanum, Choriſocium, vel Cantorem recipiant, niſi prius ipſis litteratorie conſtiterit, quod litteræ teſtimoniales ac dimiſſoriales huiuſmodi per Nos ſeu Vicarium noſtrũ generalẽ viſæ fuerin & examinatæ, quodque qui illas præſentat in his quæ ad vitam, mores, doctrinam, nec non ad ritus & cæremonias Sacrificij Miſſæ pertinẽt, diligenter examinatus fuerit, & ad celebrationem Miſſarum, aut Sacramentorum adminiſtrationem approbatus.

a *Conc. Trid ſeſſ. 22. in decret. de obſer. & euit. in celebratione Miſſa. & ſeſſ. 23. de reform. c. 16 in fine.* b *Statuta VVichboldi Archiep. Colon. c. 3. pag. 51. Henrici Archiepiſc Colon. c. 10. pag. 63. Philippi Archiep. Colon. pag. 283. Adolphi 3. Archiepiſcop. Colon. pag. 462. col. 1. §. poſt hæc. Conc. Prouinc. Colon. ſub Hermanno 5 p. 1 c. 31. Conc. ſynodale ſub Erneſto An. 1598. tit. 4.*

1. *In Eccleſiis violatis ante reconciliationem non fiat Sacrificium.*
2. *Altarium portatilium vſus tollitur.*

LVII. Denique mandamus innouãdo decretum Synodi Diœceſanæ ſub deceſſore

cessore nostro Henrico a Archiep. Colon. habitæ, ne quis in Ecclesijs seu Sacellis violatis sacrificium faciat, ante solemnem eorum reconciliationem: & cũ Altaria lapidea pariter & fixa esse debeant, non autem de loco in locum portatilia, horum proinde vsum ad populi commoditatem, vrgente necessitate latè permissum rectè sustulit tã Conc. Trid. quàm Colon. Quare ne quod ad tempus duntaxat & ex graui causa cõcessum est, contra canonicas sanctiones, & ad irreuerentiam sacrosancti mysterij Missæ trahatur in consuetudinem, volumus omnino, vt vbicubi Ecclesiæ vel Altaria violata sunt, aut destructa, ea eum primum fieri poterit, instaurentur, & sacris vsibus per Episcopalem reconciliationem, vel consecrationem restituantur, eoque facto ibidem Altarium portatilium vsus penitus interdicatur. Quocirca omnem facultatem quibuscunque personis siue laicis, siue Clericis, aut Sacerdotibus, & his tam Regularibus, quam secularibus ordinaria auctoritate factam, vt eis Altari portatili vti liceat, ex sententia Prædecessorum nostrorum

& Wil-

b Wilhelmi & Hermanni Archiepiscoporum Coloniensium reuocamus, ac reuocatam esse hoc decreto sancimus.

a *Statuta Henrici Archiep. Colon. p.* 102. *col.* 2. *n.* 12. b *Statuta VVilhelmi Archiep. Colon. c.* 24. *pag.* 173. *&* 174. *Statuta Hermanni* 4. *Archiepiscopi Colon. §.* 26. *pag.* 275. *col.* 1. *in pr.*

In cuius rei fidem hasce manu nostra subscriptas, Sgillo nostro iussimus communiri. In Oppido nostro Bonna die 12. Augusti Anno 1644.

Ferdinandus.

Vt. Georgius Paulus Strauius Episcopus Ioppensis, Suffraganeus Coloniensis & Vicarius generalis.

Euerhard: Richartz.

SVMMARIVM.

MAgna habenda promouendorum ad sacros Ordines ratio, pag. 3. & 4.

Ordines à quo Episcopo accipiendi, n. 1. pag. 5.

Examen Ordinandorum præcipuè incumbit Vicario in Pontificalibus generali; ibid & n. 27. pag 41.

Litera Dimissoria à quo impetranda, n 2. pag. 6.

Illegitimè nati nec primâ Tonsurâ, nec vllo Ordine initiandi sunt, nisi prahabita super defectu natalium dispensatione, n. 3. pag. 8.

Ordinati habeant testimonium Ordinis susceptiab Episcopo Ordinatore, n. 4. pag. 9.

Requisita in eo, qui Clericali Tonsurâ initiari cupit, n 5. pag. 9.

Formula testimonialium per Pastorem dandarum super natalibus, Baptismo, ætate, & Confirmatione Ordinandorum, n. 6. pag. 10.

Alia formula testimonialium à Pastore dãdarum, quando, deficiente libro Baptizatorum & Confirmatorum, ex depositione testium, n. 7. pag. 12.

Desi-

Desiderata in ijs, qui ad minores Ordines promoueri petunt, n. 8 pag. 13.

Minores Ordines non nisi per temporum interstitia conferendi sunt, vt Ordinati exerceãt Ordinis suscepti officium; reuereãtur Superiores in Ordine, frequenter sacram Communionem sumant. n. 9. pag. 14.

Nullius ordinis ministerium præstetur ab eo, qui in illo Ordine non est, n. 10. pag. 15.

Deficientibus Clericis cœlibatum colentibus qui ministerijs quatuor minorum Ordinum exercendis præsto sint sufficiantur coniugati monogami tonsurati & induti Clericaliter in Ecclesia. ibid.

Ordines maiores per temporum interstitia conferendi, n 11. pag. 16.

Ordinibus maioribus initiandi, vno mense, ante Ordinationis tempus, Parochum suum adeant, & curent proclamationes sui ad formam proclamationum matrimonialium fieri, n. 11. pag 16.

Quo modo ac tempore trina proclamatio sit facienda. n. 12. pag 17.

Formula faciendi proclamationem pro Ordinando, n. 13. pag. 18 & 19.

Formula testimonij per Pastorem dandi de proclamatione facta pro Ordinando, n. 14. pag 20.

Qui-

Quinam ab Ordinibus excludendi, n.15. pag.22.
Pastores & Concionatores populum ad orandum pro Ordinandis hortabuntur, n.16. pag.28.
Subdiaconus vel Diaconus, antequam ad superiorem Ordinem promoueatur, quales sibi libros comparare debeat, n. 17. pag.29.
Ad Ordines sacros admittendi, qualia testimonia debeant adferre n.18.pag.30.
Ætas ordinandorum ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum seruanda etiam per Regulares examinandos ab Episcopo Diœcesano, n.19.pag.31.
Ordinatorum ante ætatem, extra tempora à iure statuta, & sine litteris Dimissoriis pœna, ibid.
Nemo ordinandus est absque Canonico titulo beneficiali pacificè possesso, n.20.pag.33.
Subdiaconi non ordinentur qui non sperant se continere posse, ibid.
Titulus Ordinandorum qualis, & plura quæ eò spectant, n.21 pag.34.
Monitio ad initiandos sacro Diaconatus Ordine, n.22.pag.35.

Moni-

SVMMARIVM.

Monitio ad initiandos sacro Presbyteratus Ordine, n. 23. pag. 36.

Testimoniales requisita ab ijs, qui in Collegiata sunt beneficiati, vel in Gymnasio degunt. item à Religiosis quibuscunque, n. 24. pag. 37.

Regulares exhibeant sui Superioris testimoniales de professione emissâ, eamque iurent sponte factam esse, aut ratam habitam, n. 25. pag. 38.

Ordinandi quando, & vbi comparere debeant ad examen; & quales ad examen non admittendi, n. 26. pag. 40.

Ordinandorum examini Vicarius in Pontificalibus generalis interesse debet & praesse, n. 27. pag. 41. & n. 1. pag. 5.

Iuramentum ab Examinatoribus praestandum, n. 28. pag. 43.

Nihil ab Ordinandis etiam sponte oblatum occasione examinis vel Ordinationis accipiendum, n. 29. pag. 44.

Scriba seu Notarius pro singulis Dimissorijs aut testimonialibus tantum habebit albos sexdecim ibidem.

Iura in examine Ordinandorum solui consueta abrogantur, ibid.

Ordinibus sacris insigniendus, examen sub-

rat, an propositum eius sit pium, sanctum ac firmum, & quantum possit in Horarijs precibus recitandis, n. 30. pag. 46.

Ordinatus tenetur Horas suas Canonicas quotidiè legere, ibid.

Examinetur etiam in cantu Chorali, n. 31. pag. 47.

Ad suscipiendam primam Tonsuram, aut minorum Ordinum aliquem admissi, quo tempore, loco, & habitu comparere debeant, n. 32. pag. 48.

Clericalis Tonsura semper gestanda, & quoties renouanda, ibid.

Tonsura Clericalis quid sibi velit, ibid.

Ad fori priuilegio gaudendum, requiritur gestatio habitus & Tonsura Clericalis, ibid.

Tonsurâ quali Clericis, quali Subdiaconis, Diaconis, Sacerdotibus, Prælatis vtendum, n. 33. pag. 50.

Ad maiores Ordines suscipiendos admissi, quo die, hora, loco & habitu comparere debeant, & coram quo fidei professionem facere, n. 34. pag. 50.

Qualia, & cuius coloris puramenta ordinandi adferre debeant, n. 35. pag. 51.

Maioribus Ordinibus initiandi se preparent ad

ad sacram Communionem Sabbato ordinationis die sumendam, n. 36. pag. 52.

Singuli sacro Presbyteratus ordine initiandi, adferant mappulam mundam, ac Missale Romanum, n. 37. pag. 53.

Ordinati Sacerdotes intra 40. dies primitias celebrare tenentur, sed prius literas susceptι Sacerdotij exhibere, n 38. pag. 54.

Ritus in Missa seruandi, sint vbiuis vniformes, n. 39. pag. 54.

Vniformitas Sacrorum rituum & caremoniarum in omnibus officijs Ecclesiasticis adhibenda, n. 40. pag. 59.

Interest ad Catholicæ religionis dignitatem & vnitatem seruandam, vniformitatem Caremoniarum in Sacramentorum ministratione adhiberi, n. 41. pag. 60.

Rituale seu Pastorale Romanum commendatur, ibid.

Nemo ad Parochialem Ecclesiam, aliudve beneficium curatum promoueatur, admittatur, vel instituatur, nisi prauio examine Ordinarij Diœcesani, approbatione ab eo in scriptis obtenta, & fidei professione facta, n. 42. pag. 62.

Pastoralem iurisdictionem vsurpans sine ordinaria

dinariâ approbatione Archiepiscopali, quã pœnam incurrat, n. 43. pag. 64.
Pastorum officium, n. 44. pag. 66.
Pastores iure Diuino ouibus suis assiduè adesse debent; etiam periculi & pestis tempore; nec ad mensem à Parochia sua abesse possunt, sine licentia Archiepiscopali, n. 45. pag. 67.
Pastores intra limites suæ Parochiæ, & in Pastorali, vel alia domo Ecclesiæ proxima habitent. n. 46. pag. 69.
Idem quoque faciant Custodes, ibid.
Iuramentum ab animarum Curatoribus præstandum, n. 47. pag. 69.
Quando aliò se recipere cogentur, quid præstare debeant, n. 48. pag. 71.
Archipresbyterorum seu Decanorum Ruralium officium, n. 49 pag. 71.
Pastorum quoque Vicarij, Capellani & Adiutores; ordinariâ auctoritate Archiepiscopali approbandi sunt ad curam, animarum, n. 50. pag. 73.
Presbyteri omnes etiam Regulares debent antea ab Episcopo Diœcesano approbari, quàm secularium seu Monialium etiam ipsis Regularibus subiectarum audiant confessiones, n. 51. pag. 74.

Reuo-

SVMMARIVM.

Reuocatio omnium indultorum quibuscunq; Religionibus, Societatibus, & Ordinibus quomodolibet concessorum audiendi sæcularium confessiones absque Ordinarij examine & approbatione, n. 52. pag. 75.

Regulares non possunt pœnitentes suos à Casibus Sedi Apostolicæ & Ordinario Diœcesano reseruatis absoluere sine speciali licentia, n. 53. pag. 83.

Regularibus omnibus vetitum est ministrare sæcularibus personis Sacramenta Baptismi, & extra suas Ecclesias, Eucharistiæ: item Extremæ vnctionis & Matrimonij, n. 54. pag. 85.

Missa in priuatis ædibus non celebranda, n. 55. pag. 86.

Nemo ignotus seu peregrinus, etiam Regularis ad Missam celebrandam, Sacramenta ministranda, aliaue Diuina peragenda admittatur absque licentia Archiepiscopali, n. 56. pag. 89.

In Ecclesiis violatis ante reconciliationem non fiat Sacrificium, n. 57. pag. 91.

Altarium portatilium vsus tollitur, ibid.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN